

Grammatica aliqua a Iudaeo quo-  
 dam conscripta et edita Fran-  
 cofurti ad Moenum 1708. 1 Alph.  
 G. H. P. proluxe recensetur et com-  
 mendatur in An. Unif. d. Marburg.  
 ann. 1713. p. 57-80. Praeprimis  
 considerentur eja d. X. moei lingua  
 Sana et plenior Grammatica hebrai-  
 ca, ad usum facilem scholarum tam infe-  
 riorum quam superiorum, in primis  
 Wurtembergicam, ad imitationem  
 commendatam, ita ut retentis Schickar.  
 di. requisitis, praeter notas locupletes,  
 et exempla perspicua, Kazan et  
 Cetheban in subsidium vocentur, Rab-  
 binorum termini technici passim adden-  
 tur, Accentuum doctrina dilucide pro-  
 ponatur, et Philologorum recentium  
 inventa asperguntur, addita Vita  
 B. Wilhelmi Schickardi, huius q.  
 desiderata opera et studio M.  
 Jo. Christoph. Spreideli, 1731, 8. an.  
 adn. 1. d. Unif. d. Marburg. Est Diss. in  
 univ. d. Marburg. de Nomenclogio  
 hebraeo, auct. Jo. Goro Wied.  
 mit. d. Marburg. Anonymum 1731. N. 48.  
 p. 47. 9. Mollis 5 Theol. Bacc. et examen  
 Christoph. Wollnerianum ab Augustino  
 Calaneo Monacho Parisino, civitate Christ.  
 ana commendatarum. Accedit de genu-  
 na Compositionum sacrarum, comparativa  
 tum ac superiorum explanatione  
 Evangelicis Lipsiae 1733. 8. 15. p.  
 vid. d. Marburg. Anonymum 1733. N. 48.  
 4. d. p. 379.

Loc. 271.



# ELEMENTA HOMILETICA,

in materiam ac usum cum præ-  
lectionum, tum exercitiorum &  
cenfurarum etiam, quæ in hoc ge-  
nere fieri solent,  
consignata

à


**PAULO ANTONIO**  
S. Th. D. & in Fridericana P. P. Consist.  
Ducatus Magdeb. Consil.

---

Accedunt, ad verum finem eo certius as-  
sequendum, **MONITA HOMILETI-**  
**CA**, e Fr. Lamberti de Prophetia Com-  
mentariis fideliter collecta.

---

*HALÆ MAGDEBURGICÆ,*  
typis & sumtribus **CHRIST. ANDR. ZEITLELI,**  
Acad. Typogr. recusa Anno 1707.



ELEMENTA  
HOMILETICA.

in praeteritis ac futuris  
lectionum, tum exordium &  
centuram cum, que in hoc se-  
nate fieri solent,  
congruere

PALLO ANTONIO  
S. Th. D. & in Friburgina P. F. Consi.  
Ducatus Magdeb. Consi.

Accedunt, ad verum finem eo certis as-  
solendum, MONITA HOMILETI-  
CA, a Fr. Lambert de Proprietis Com-  
mentariis fideliter collecta.

HABE MAGDEBURGICA,  
typis & sumptibus CAROL. ANDR. ZETTLER,  
Acad. Typogr. Curatoris Anno 1707.







## PRAEMONITIO

**P**Rodeunt in publicum  
*Elementa* hæc, aliorum  
quos colo ac diligo,  
quibus me permisi, voluntate,  
non mea. Neq; tamen in editio-  
nem consensionem, nisi scirem,  
quibusdam prodesse posse, imo  
necessaria esse ad tempus ali-  
qua præcepta ordinis. quodque  
me omnium maxime permo-  
vit, est, quod certissimos omnes  
facere licet, fore, ut in ipsis præ-  
lectionibus, exercitiis atq; cen-  
suris homileticis, semper in-  
culce-



## PRÆMONITIO

culcetur: non artem esse, quæ concionatorem bonum constituat, sed gratiam & unctiōnem Spiritus S. sed longe majorem thesaurum habitumque requiri; quem qui a Deo ex Scripturæ usu acceperit, eum demum reliqua externa adnucula, quæ minora sunt, & ad quandam quasi famulationem præsentis temporis referenda, tempestive sobrieque adhibere posse ac velle. Ita fiet, ne damnum patiantur auditores nostri, sive ex contemptu minorum, sive ex dissimulatione, quod hæc omnino sint omnium minima. Cœpi primas li-  
neas



PRÆMONITIO.

neas ducere Lipsiæ\*, cum compul-  
sus a juvenibus cogitarem  
de modo adhibendo, easque  
ipsas recensui, quatuor fere ab-  
hinc annis, in Alma Hallensi  
nostra, alio præter ea consilio.  
nempe ut *introductionis* loco es-  
sent in *Institutionem hermeneuti-  
co-homileticam*, sive *præcepta*, ex  
*Augustini* de doctrina Christia-  
ni libris, conquisita a veneran-  
do collega D. J. J. Breithau-  
ptio, *Institutionibus credendorum*  
& *agendorum* subjuncta. Quæ  
Augustiui institutiones homi-  
leticæ, quas etiam audio pre-  
lum novum expectare, occa-  
sionem

a 3

\* confer scriptum meum, Iena excusum A. 1693. con-  
tra famosum libellum Unfug. p. 104. sq.



## PRÆMONITIO

sionem dedere mihi ostenden-  
di auditoribus, quam ardua res  
hæc fuerit priscis ecclesiæ Do-  
ctoribus, etiam illo adhuc tem-  
pore, quo ars jam intraverat in  
ecclesiam; quoq; frustra ver-  
semur circa *versa*, si simus sine  
*rebus*. Quoniam vero Augu-  
stini tempore alius fuit conci-  
onandi modus, quam nostro:  
submisi me humillime neces-  
sitati ac tempori, in quo vivimus,  
quantum oportet, vel saltem  
licet, atque inter perpetuas ad-  
monitiones de uno necessario,  
ad calamum dictavi ea, quæ  
nunc exhibentur, partim ex-  
plicatius, partim contractius;  
spe



## PRÆMONITIO

spe omni, ut dixi, reposita in fidelem interpretem. Ne tamen cautionis quid deesset, paulo post admovi *monita homiletica* e Lamberto collecta, sene exercitatisimo, Viro in opere Reformationis diligentissimo, quem Lutherus ob integritatem animi prompte commendavit. in his utrumque extremorum sedulo declinatur: qua & ex caussa illi *institutioni* subjunctum quid fuerat ex summe Reverendi *Speneri* parænesi *de impedimentis studii theologici*. Subjeci monitis quandoque asteriscos ex libris symbolicis, ut, quæ sententia Majorum fue-



## PRÆMONITIO

rit de concionum forma ac materia, intelligi queat. Non de primo, quicquid methodum juvare potest. Veneror nativam eloquentiam, quæ non paucis data est e fidelium grege. Laudemus, cum Lamberto, Dominum Deum nostrum in omnibus donis & ordinibus suis. Sed nemo, qui rem recte reputat, indignabitur, quod præmissis ejusmodi cautelis libellus præsens editur. Quod si enim conciones haberi debent pro verbo *Dei*: aut illæ recte se habere debent, aut in extremo nominis **DEI** abusu sumus, aliosq; nobiscū in eo relinquimus.

quod



## PRÆMONITIO

quod vel cogitatu horrendum sit, & ad Antichristianismum pertinens: CHRISTI loco publice loqui audere, quando quis de exuendo mundi Spiritu, & habendo Christi Spiritu curam nondum habere voluit, sed satis habet, si utcunque receptum *loquendi & disponendi* morem tenuerit, ex quo *victu* temporali, & humana insuper *approbatione* gaudeat. Nolo, neque possum nunc, digitis enumerare omnes hac in re abusus. quantum tamen ego iudico, Origo Malorum, ut circa omnes partes studii Theologici, ita manifestissime in homi-



## PRÆMONITIO

Leticis, conspici potest ex duabus maxime rebus, primo scilicet & primario, ex *defectu* unius veri boni, sive divini apparatus, adeoque deinde ex spuria humanarum mercium *suppositione*, loco cœlestium. Siquidem deficiente & neglecto thesauro vere theologico, compensare quisque & palliare defectum studet, ac aliunde supplere, prout existimat, commodissime pervenire se posse ad finem, quem sua ipsi *φιλανθία* & utilitatis terrenæ studium præscripsit. Hinc adsciscit aliena ornamenta. hinc substituit varia supplementa, quoni-

am



## PRÆMONITIO

am veris dotibus destituitur, ita  
quidem, ut quo quis magis va-  
let memoria, ingenio, donis  
naturæ, eo magis a dependen-  
tia Deo debita abeat. quippe  
qui sibi placet de eo, quod po-  
test absque speciali Dei auxilio,  
& Spiritu supremo inhabitan-  
te, verba textûs resolvere, dis-  
ponere, amplificare, illustrare  
flosculis. Adeo, proh dolor!  
plurimum studia tacite acquie-  
scunt in opinione; illa de Viri-  
bus Liberi Arbitrii, quicquid  
protestentur! Adeo cuncta  
componuntur, ut fallant &  
fallantur. Sunt, qui in *Acade-  
miis* putant conciones haben-  
sad



## PRÆMONITIO

Das esse quasi extraordinarie  
comptas. sed & hoc vanum  
est, ut infra (p. 76) verbis Lutheri  
docebimus, nobisq; Academi-  
cis Professoribus vel maxime  
incumbit, præire bono exem-  
plo in rerum ordine, & ab omni  
fraude ac vanitate arcere eos,  
qui fidei nostræ commisi sunt.  
ne vel hi veniant in commer-  
cium *mysterii iniquitatis*, nec in  
hos etiam dici queat illud La-  
ctantii: *id querunt, quod sensum  
demulceant. Imo vero summa pro-  
videntia carere fuco voluit ea, quæ  
divina sunt.* L. 6. c. 21. Dab. e  
Museo. d. XXVIII Augu-  
sti A. MDCC.





I. N. 7.  
ELEMENTA HOMILETICA  
Sive  
Introductio in *Præcepta* inter-  
pretandi Scripturam S. & *con-*  
*cionandi* Augustiniana.

§. I.

**I**dem *finis* est Homileticæ, qui  
est *ipſus* Scripturæ S. circa quam  
tractandam coram Eccleſiâ  
verſatur miniſter Eccleſiæ. De  
*ſine* Scripturæ conf. 2 Tim. III.  
16. 17. cap. II. 2. 1 Tim. IV. 23. ſeq. Rom. XV.  
4. 2 Petr. I. 20.

§. II.

Uti circa Scripturam nemo digne verſatur,  
*niſi* qui DEUM timet: ita nec circa  
conciones, habendas ex uſu Scripturæ. 2  
Cor. II, 16, 17.

§. III.

Hodie quidem diſciplina Homiletica  
verſatur circa *Textum Biblicum*, prout ille  
-019 A est



2 ELEM. HOMILET.  
est EXPLICANDUS, PRÆPARANDUS, AP-  
PLICANDUS.

§. IV.

EXPLICATIO, quæ coram populo pro-  
fertur, serio præsupponit explicationem,  
prius penes animum suum orando atque  
meditando subactam, & fit per *tractatio-*  
*nem* vulgo sic dictam, quam antecedit *Ana-*  
*lysis & dispositio* aliqua.

PRÆPARATIO fit per *exordium*; tum ge-  
nerale, tum etiam speciale.

APPLICATIO fit per *confectaria* sive  
*usus*.

§. V.

Hinc universum negotium absolvitur tri-  
bus CAPITIBUS.

Caput I. de Textu EXPLICANDO.

Caput II. de Textu APPLICANDO.

Caput III. de Textu PRÆPARANDO.

CAPUT I.

De

TEXTU EXPLICANDO.

§. I.

**E**Xplicatio Textus non hoc vult, quod  
Textus facer *nostro* demum labore  
& ore illuminandus quasi sit, sed sic  
dicitur ab humili *nostro* obsequio & officio  
pro-



CAPUT I. 3

proponendi & urgendi textum cum efficacia; quoniam non raro notum quid & clarum est plusquam satis, quod tamen propter veteris Adami perversitatem & pertinaciam, aliasque ob causas, inculcatione publice indigeat.

§. II.

Quia igitur *explicare* h. l. idem est, ac *complicatum* Textum coram populo evolvere, deducere atque diducere: ideo *Analysis* opus prius est; uti jam ante monuimus.

§. III.

Analysis vero *triplex* vulgo dicitur: *Logica, Grammatica, Rhetorica.*

§. IV.

*Analysis Logica* occupata est, partim in resolvendo ipso Textu, partim in contextu. Utrumque adjuvatur, si dispiciamus 1. quæ sit *Propositio*, eaque *principalis*, hujusque *subjectum & predicatum* 2. quæ sint *circa* istam propositionem vel thema. Adeoque Propositiones, si plures adsunt (1) ordine *colliguntur* mente, vel quasi excerptuntur, (2) sic excerptæ, & in numerato positæ, *comparantur* alia ad aliam. Tunc enim apparebit, an & quæ verba Textus se habeant, vel ut *Thesis*, vel ut *argumentum* probans, aut cujuscunque generis.



## §. V.

*Analysis Grammatica* occupatur circa voces & phrasales NB. etiam circa particulas. In phrasibus integris constructio notanda, nec non usus & habitudo ad alias, beneficio Lexicorum & Concordantiarum, de quibus B. Glauchius.

## §. VI.

Eandem ad *Analysin* nonnulli referunt *loca parallela*.

## §. VII.

Nec alienum est, versiones aliquando & Exegetas, inter meditandum conferre; hoc tamen consilio, ut in rebus ad iudicium pertinentibus, ipse primam curam adhibeas, quo usque tu ipse pervenire queas.

## §. VIII.

*Analysis Rhetorica* observat resolvitque in vocibus & phrasibus significationem, *tropicam* ac *figuratam*, quam in rem commendatur Glasii *Rhetorica* S. sed h. l. latius extenditur *analysis Rhetorica*, nempe ad *Pathologiam* S. seu *scrutinium affectuum* in sacris scriptoribus. Videatur Franckius noster in *manuductione* à pag. 174. usque pag. 221. 106.

## §. IX.

Hic svaserim, ut dum Textus iterum iterum-



iterumque legitur, fugitur, animoque quasi digeritur, *inter has Analyses* quisque in promptu pagellam habeat. Nam Analysis Grammatica dabit argumenta quædam *explicantia*, quæ specialiter sic a nonnullis dici solent.

Rhetorica, cujus specialis usus est in *thematæ patheticæ*, dabit *illustrantia*, *moventia* & *amplificantia*. Logica suggerit *probantia*, in Textu argumentoso, *explicantia*, è contextu etiam, imo & *amplificantia insita*.

## §. X.

Ex Analysis hac Logica porro dijudicatur facile *thema*, an sit vel *unicum* vel *multiplex*. Si unicum, an sit simul *argumentosum*, vel mere *enunciativum*? Si *argumentosum*, quæ argumenta sint *primaria*, quæ *secundaria* & *accessoria* &c.

Aliquando deest particula *causalis* e. g. Eph. IV, 4 & tamen constat ex iudicio Logico, quod Textus sit *argumentosus*.

Quando plures *materiæ* vel *objecta* plura in uno Textu tractantur, tunc tot postea in dispositione numerari possunt *partes*, quot sunt *materiæ* seu *objecta*, & inveniri haud difficulter poterit terminus aliquis *generalis*, *partibus* istis in formanda *propositione* præponendus. Quid? quod etiam liceat



ceat numerum *partium* ipsarum simpliciter nominare loco *propositionis*.

Ita si una eademque materia in textu habetur sub diversis *proponendi modis*, seu variis *dicendi generibus*; quis non statim videt, materiam ipsam constituere *propositionem*, partes autem concionis tot commodissime fisti, quod in textu fuerint dicendi genera.

§. XI.

*Genera dicendi* numerantur hodie quinque, nempe, ut quinque sunt *usus Scripturae* 2 Tim. III. 16. & Rom. 15. 4. tot etiam merito sunt dicendi genera, quot sunt officia *praconis Ecclesiastici*. Nempe est

- I. Genus *Didascalicum* (in *thesi*)
- II. *Elencticum* (in *antithesi*)
- III. *Pædæviticum*. (in *admonendo*)
- IV. *Epænoriticum*. (in *increpando*)
- V. *Paracleticum*. (in *consolando*)

§. XII.

Uniuscujusque generis diversæ sunt species v. g. *Didascalici generis species* sunt: Historia, Parabola, (cujus finis *docere* est nam parabola quarum, ut Luc. XV, 17. finis est refutatio seu Apologia, Elenchi est. species) Narratio, asseveratio, admiratio Mysterii divini, vaticinium in se (Gen. XXII,



## CAPUT I.

7

XXII, 18. coll. Gal III, 16.) promissio in se  
Pl. XLI, 3. Descriptio, confessio, lauda-  
tio, mandatum & consilium in Thesi seu  
L. C. I Thess. IV, 3. &c.

Didascalica ergo hic & Articulos fidei, &  
doctrinam vitæ comprehendit e. g. I Joh.  
II, 3. 6. 9. -- II. quia *doctrina vitæ* non mi-  
nus est Didascalica, quam distincte sic dicta  
doctrina fidei.

## §. XIII.

*Generis Elenchtici species* sunt: Accusa-  
tio. Philipp. III, 18. Defensio sive Apolo-  
gia Joh. VIII, 4. 8. Luc. XV, 1 -- 17. Ex-  
probratio erroris fidei. Refutatio, Nega-  
tio. Querela Elenchtice formata circa  
fidem Gal. IV, 20. I Cor. XV, 12. Philipp. III,  
17. &c.

## §. XIV.

*Generis Pædævtici species* sunt: Adhorta-  
tio, mandatum vel suasio in hypothesi seu  
secunda persona 2 Thess. III, 6. Rom. XII, 3.  
Apoc. III, 18. Dehortatio & Disuasio  
mitior Rom. VI, 12. Gen. II, 17. Matth. VII,  
1 -- 15. &c.

## §. XV.

*Generis Epanorthotici species* sunt: Vitu-  
perium, Gen. XXXI, 29. Comminatio Jer.  
VI, 11. Imprecatio Jer. XLVIII, 10, Pœnæ

A 4

de-



8 ELEM. HOMILET.

denunciatio Hof. XIII, 12. Exprobratio vitii 1 Cor. VI, 5. dehortatio vehemens 1 Cor. IV, 21. 8. (querela in moralibus Prov. I, 20. Pf. 90. 12.) pudefactio sui ipsius. Luc. XV, 21. Dan. IX, 6. &c.

Notatu dignum est, quod 2 Tim. III, 16. præcedit ἐπανόρθωσις, hancque sequitur παρδεία, & quidem ἢ ἐν δικαιοσύνη. Quod usum suum habebit in nostro Cap III. h. l. vocabulum generis epanorthotici non semper & plane convenit cum usu vocis Apostolico. In aliquibus vero libellis homileticis id, quod h. l. epanorthosin cum vicinis vocamus, *elenchus* etiam appellari solet. nec perperam, ex usu Scripturæ Eph. V, 11.

§. XVI.

*Generis Paraleitici* sive consolationis species sunt: Erectio; etiam sui ipsius, (unde Textus, qui de nostra ipsorum spe agunt, pertinent ad genus consolatorium) Sympathia, querela in tristibus, quippe quæ continet desiderium solatii & suspirium, vota & preces pro auxilio, gratiarum actio pro impetrato auxilio, promissio auxilii. Fiducia afflicti Pf. XLVI, 1, 2.

§. XVII.

Observe, posse Textum esse in uno genere, sed duas vel plures ejusdem generis species



*cies* habere posse v. g. Rom. XII, 1--5. Textus est in genere padevrico: Species seu specialis modus proponendi v. i. est petitio vers. 3. mandatum.

§. XIII.

Præcipuus vero fructus studii tui circa dicendi genera is fuerit, ut imbuaris eodem *affectu*, ex quo prostruxit tale dicendi genus; exclusio tamē omni *mimico* artificio, de quo in ipsis prælectionibus serio admonebitur.

DE IPSA TRACTATIONE.

§. XIX.

Objecto Textus (tametsi forsan adhuc rudius tantum & veluti confusius) cognito, necnon dicendi genere: de ipsa statim dispositione *externa* prorsus constituere vix consultum est, consultius autem ad ipsam *rem* prius applicare animum, & de apparatu selectuque reali esse sollicitum.

§. XX.

Hic ipse selectus deinde *Tractationem* conficiat per argumenta tum explicantia tum probantia, per Spiritualem applicationem iudicii Logici, tum aliquando per amplificantia & illustrantia.

§. XXI.

Ante omnia colligas argumenta Textui *instita*, deinde demum si opus fuerit, aliunde *assumpta*.

A §

§. XXI.



Quoniam vero in Tractatione *semina* sunt inspergenda ad *usum* subsecuturum, ratione presentis Auditorii: hinc canonis loco sit illud: *Quodcumque è Textu, post in applicatione ad usum, debet præbere argumentum, id ipsum prius in explicatione præ cæteris urgendum, & ejusmodi argumentis deducendum, quæ in applicatione videntur esse necessaria, ita ut, quando in applicatione eò perventū fuerit, Auditores boni eorum possint recordari.* Quamobrem opus aliquando est crebra unius rei *repetitione* & quasi tautologia, propter durum cor hominis. confer. ex Augustino §. XLl. sq. 37. 28. & Quensted. Eth. Past. p. 511.

## §. XXIII.

Afferenda quidem sæpe sunt loca parallela, sed quantum id exigit *res* declaranda, & Auditoribus confirmanda. *Necessitas* jubebit, non quantum tua forte habet supellex. De similibus simile judicium. v.g. *oppositio*, & *remotio*, ne sint superflua adeoq; inepta, sed non nisi ea in tractatione, tanquam aliena, removeantur, quæ *speciem* probabilitatis habent, ut: causæ *apparentes*, falsi fines, scrupuli conscientiarum, falsæ glossæ, de quibus Spenerus vom Mißbrauch der Sprüche S. Schrift/



Schrift / Schad in lib. was fehlt mir noch?  
 &c. Itē judicaveris facile, quando opus sit ar-  
 gumento explicante ab etymologia vocis, ab  
 hononymia, à Synonymia, à paraphrasi, à  
 definitione, à collatione versionū cum fon-  
 ribus, à conciliatione locorum Scripturæ  
 &c. ex Augustino §. 26. sq. Infra c. 2. th. 16.

## §. XXIV.

Quæ *materia* frequentissime sint tractan-  
 da pro ratione nostri temporis, earumque  
 ideo tractandarum quærenda occasio, ipso  
 exemplo ostendit Spenerus in *Brandf.*  
*Denckmal. it. lautere Milch des Evangelii*  
 conf. infra in monitis homileticis è Lamber-  
 to §. 34.

## §. XXV.

Hinc prodest cogitare, ad quem *locum*  
*Theologicum* vel etiam *caput Catechismi* re-  
 ferendus sit textus; non quod semper to-  
 rus *Locus Theol.* vel *caput Catechismi* tra-  
 ctandum, sed ut certa nobis sit *cynosura*, ad  
 quam meditationes nostras dirigamus; alio-  
 rumq; Scripturæ dictorum, pro ratione tex-  
 tus nostri, recordemur. Prodest etiam sæpe  
 interesse & attendere *exercitiis catecheticis*,  
 in quibus *analysis* optime refertur ad ca-  
 ptum & animum. Neque alius conciona-  
 toris *animus* sit, quam *Catechetæ*. Profunt  
 etiam aliquando *illustrationes Textus per*  
 hym-



hymnos publicos, Litanias, Libros Symbolicos & Testimonia.

§. XXVI.

Ex his ipsis manifestum est, primum locum ordinarie dandum esse argumentis *explicantibus*, & postea aliis. Ubi tamen cavendum, ne nimia vocum flexione & Philologia onerentur Auditores: ne tædiosa sit & superflua Scripturæ locorum *citatio*: ne & facile in *allegandis* Scripturæ dictis alia temere verba substituuntur, quam, quæ habet Textus: ne talia *Patrum* vel aliorum afferantur testimonia, quæ nulla se emphasi commendant. Quorsum enim *alterius* testimonium prætendatur, cum vel quis idem possit dicere, aut nemo circa id dubitat? In Textibus *moralibus* indagentur fundamenta *fidei*, ne argumenta sint *mere moralia*. Ac charitas, summa legis, non tam severe præcipiendo, quam miserationes & vias Dei instillando, producit ex *Evangelio*. P. Egardus in *epistolas*.

§. XXVII.

Ex his porro manifestum est, primo & ultimo loco poni debere argumenta maxime *stringentia*.

§. XXIX.

De *connexione* argumentorum rectissime cogi-



cogitabit, qui tractationem referet *ad semet ipsum*, atque connexionem quærat in salutis ordine, sive reali systemate. Insuper tempestive sibi eliger audiendum disertum verbi Ministrum, cujus Exemplo connectere adulescat, animumque sic imbuat. Quod more ac tempore suo Augustinus: Si acutum, inquit, & florens adsit ingenium, facilius adhæret Eloquentia legentibus & audientibus eloquentes, quam eloquentiæ *præcepta* sectantibus. L. 4. doctr. Christianæ cap. 3. Nos vero simplicius capi ac intelligi volumus, quando dicimus, quod *exemplis vivunt regulæ*. Imo suaferim, si animus meditari vel concionaturi, forte minus erectior sit, excitare mentem præviâ aptæ alicujus concionis perfectione, adeoque & sic adjuvari *unctionem*.

Quorum est privatim informare pueros, illis ipsa informatio privata sit progymnasii loco. Idem ipsis quasi aliud agentibus, præstabunt reliqua, quæ internos frequentantur, exercitia; at cæteris paribus. V. *Methodus* Exercit. bibl. Franckii nostri.

## §. XXIX.

Orationis requisita passim censentur: *docere, delectare, & movere*. Prius utiq; *docendi*, qui nesciunt vel hærent, quam *movendi*. Præcepta



cepta Rhetorica, eò tendentia, non sunt ex se sufficientia *ad finem Ecclesiasticum* quia mundus iudicium carne corruptum habet. Non ergo delectandum ingenium, sed du-cenda & permulcenda suo modo Auditorum conscientia. Ac tametsi fieri potest, ut modus proponendi quoque afficiat ingenium: tamen hoc minime intendendum, sed spectanda sola conscientia, tanquam docenda & flectenda. Exemplo sint Apostoli & Patres prisci. Ex Aug. §. 43. 44.

## §. XXX.

Inter has meditationes ne dedigneris excerpere & adnotare (particulare etiam & inadæquata) *porismata*, modo sint salutaria & ardua. Quæ enim forte non faciunt ad usus formaliter applicandos, dabunt locos communes specialissimos in Textus ipsius amplificatione. infra c. 3. §. 5.

## DE DISPOSITIONE.

## §. XXXI.

Denique si quid meditando obvenerit, quod idoneum ad dispositionis formam iudicaveris, mente vel calamo notare omnino conducit. Optima vero dispositio est, quæ *rem ipsam* sive objectum proponit *plene, plane,* & quantum fieri potest, *succincte*

## §. XXXII.



## §. XXXII.

Methodus quidem vulgo statuitur duplex, (1) *Analytica*, quæ Textum in suas resolvit partes, atque harum sensum & scopum enarrat, seu, quæ Textum tractat, ut illum cum specie & objecto invenit; quam Methodum primo utique bene sibi imprimere æquum est. (2) *Synibetica*, quæ è Textu seligit Locum communem, quem velut inde componit, quando Thema Textui conveniens sumitur tractandum argumentis, partim insitis, partim assumptis. Posterior hæc methodus requirit cor vario rerum Spiritualium usu jam subactum, & sic dicitur à potiori; cum Exegetis omnino in ipsa methodo Synthetica præmittenda sit, licet brevior, attamen fundamenti loco. Cavendum proinde, ne prætextu Methodi Synthetica divagemur a litera, aut discurremus cum licentie.

## §. XXXIII.

Vulgo distingvi solet dispositio in *naturalem*, & in *artificialem*: quæ appellatio posterior maxime prodit suam originem.

## §. XXXIV.

Dispositio *naturalis* est, quæ innata Textui iudicium, per Analysin Logicam exploratum, stricte proximeque sequitur,  
(ne



( ne quidem neglecta innatâ allegoria & schemate insito. v.g. 1 Joh. I, 7. Eph. VI, 6 17. Hof. II, 19. Pf. L, 3. ) vel quæ aperte sequitur proximam & primariam intentionem Textus & dicentis.

## §. XXXV.

Dispositio, quæ artificialis vocatur, ( rectius forsan *extraordinaria* ) est, quæ bonis de causis, absque gentili artis studio, aliquando vel Textum involvit tempestivæ cuiusdam allegoriæ sive schemati illato, vel ob certas circumstantias, & quasi extra ordinem, peculiare quid è Textu proponit; cui reliquas Textus partes accommodat pro re nata. Sed prius sollicitos nos esse oportet de *simplici* siue nativa dispositione; idque non modo in methodo *analytica*, verum etiam in *Synthetica*.

## §. XXXVI.

In Methodo analytica propositio fit *ex specie & objecto*. Sæpe tamen & hic *species* aut dissimulatur, aut in partitione occurrit, v.g. ex Luc. XV 1-11. potest in genere Elenchtico proponi. Das Recht Sünder anzunehmen (1) wie es dem H. Erren Jesu strittig gemacht/ ( una species Elenchtica ) (2) wie es von Christo behauptet wird. ( altera species Elenchtica. )

## §. XXXVII.



## §. XXXVII.

Ut plurimum propositioni coordinatur *partitio*, si illa opus est. Nam *partitio* nihil est aliud, quam evoluta sive diducta propositio.

## §. XXXVIII.

*Partes*, quæ se meditantibus ultro offerunt, factâ reali investigatione sensus & scopi, præferendæ sunt omnibus aliis anxie conquisitis partibus vel artificiis.

## §. XXXIX.

Si Textus historicus est, partes esse possunt (I) Antecedentia, (II) Factum ipsum, (III) consequentia ut Luc. II, 1-14. Matth. XXI. 1-12. vel quicquid de his tribus circumstantiis adest. v.g. Matth. IV. 1-11. est factum & consequens. Joh. I, 19-28. est solum factum, ubi factum facile partiendum est in circumstantias: *quis? quid? ubi? &c.* Nota: si placeat simplex Tractatio Historica, sit illa (I) *brevis*, quam *usus* sequuntur *eo ampliores*, vel etiâ (2) inseruntur vel interspergantur *doctrina*, propter admonitionem Apostoli Rom. XV, 4. 1 Cor. X. II. alias fides non nisi historica generabitur, quæ non sufficit, sed conjungenda Spiritus S. intentio.



## §. XL.

Si Textus Parabolicus est, partes sunt: *Enarratio & Applicatio* v. g. Matth. XX, 1-16. Luc. VIII, 4-15. Luc. 18. 9-14. Sin applicatio parabolæ non habetur expresse in Textu, Parabola tractatur in modum historiae v. g. Matth. XIII, 24-30.

Quidam negant posse proponi Textus i. sensum. ii. Usum. Sed haud dubie non negaverint, cum ipsa applicatio vel usus ipse Textui *insitus* est v. g. cum ex Joh. XIII. 1-20. proponitur: *Das Füsse-Waschen des Herrn Jesu. (I) Dessen Handlung/ à v. I--II. (II) Dessen Erklärung/ à v. II-20.* Similiter, si ex Matth V, 20-26. proponas *Christi Cathedismus Predigt über das 5te Gebot/ da Er zeigt (I) præcepti sensum à v. 20-22. (II) Usum. à v. 23--26* aut ex I Tim. I, 15. 16. doctrina adventus Christi (I) explicata v. 15 (2) applicata v. 16.

## §. XLI.

In themate nude enunciativo partes fuerint subjectum, Prædicatum, vel etiam circumstantiæ principales.

Si thema argumentosum est, partes sunt: *Thesis* (vel hypothesis) & *argumenta*, v. g. Eph. IV, 1--6. Sin autem Thesis modo breviusculis insinuetur, regula hæc obtinebit:



bit: quot argumenta, tot partes, v. g. I Cor. XV, 12 -- 30.

## § XLII.

Quando in Textu aliquo unius rei duplex vel multiplex schema est, v. g. Ef. XLII, 3. Matth. V, 13, 14. proponi potest sensus simplex absque involucro, & tot erunt partes, quot schemata.

## § XLIII.

Pariter cum genera unius Textus sunt distincta, ea contrahenda sunt in conceptum *generalem*, qui constituet *Propositionem*. Tot vero erunt partes, quot dicendi genera seu species, v. g. Luc. XIV. 1 -- 12. Nec non cum thema est multiplex, tot sunt partes, quo sunt res sive objecta, v. g. Col. III, 18 -- 22. Item: Si in Textu Epanorthotico multa sunt objecta realia, faciunt ea *partitionem*: formandæ vero *propositioni*, rum sufficere potest *objectum personale*, v. g. Matth. XXIII. 13 -- 32. Supra §. 10.

## § XLIV.

Observandum contra serviles Homiletas, quod salva sit maneatque simplex dispositio, nec in Textum sim injurius, si vel maxime externam verborum seriem propter rem tractandam, præsentemque ordinem doctrinæ immutem. In genere no-



tandum: *regulas* Scholæ ita sequendas, ne quid decedat nucleo Textus aut ædificationi Auditorum, vel altioribus principiis.

## DE VARIATIONE.

## §. XLV.

De *variandis dispositionibus* cogitatum, fuit occasione Textuum anniversariorum. Quibusdam allubescit perpetua per totum annum Methodus; sed paucis datum est Textus relinquere integros absque coactione, & auditores retinere attentos. Si tamen certis de causis talem quis Methodum assumat, ita faciat, ut campum apertum sibi relinquat sub generalissimis terminis. Sic in B. Brunnemanni Jcti Meditationibus sacris, A. 1700. excusis, optima servatur methodus per totius anni cursum.

## §. XLVI.

Quia igitur Dispositiones hæ ad externam formam spectant: Hinc est, quod eæ *varia* quoque esse possunt propter internam copiam Textuum; Est vero variatio vulgo dicta vel *levior*, vel *operosior*. *Levior* est, qua leviter immutat propositionem, partitionem & Tractationem, occasione novi Exordii, & Elocutionis variatæ. F. C. 361. 360.

Vix in dicto aliquo insigni vox occurrit,  
quæ



quæ non possit novam Propositionem facere v. g. 1 Joh. 1, 7. quamcunque vocem elegeris, eam poteris eligere in propositionem.

Ita ad variationem pertinet, si modo in analytica, modo in Syntherica Methode tractatione procedat.

## §. XLVII.

Si lubeat è Pericopa quadam excerpere unum vel alterius versiculum, tunc necesse vel utile plerumque est, ut integri Textus summa tradatur in Exordio, adjecta causa, cur ita nunc procedamus.

## §. XLVIII.

Advariationem & hoc pertinet, quando *usus* modo toti tractationi *subjunguntur* vel reservantur, modo statim *immiscuntur*, sive illa mistio fiat ad partes principales (quod facilius est, & ipsis etiam incipientibus conducit ad habendam eo promptius materiam) seu ad subdivisas, (quod majora dona requirit) Methode, quam alibi vocant, Hunniana.

## §. XLIX.

Variatio operosior est, quæ ex simplici tractatione prudenter eligit paulo remotiorem, respiciendo in hypothesi ad certum aliquem emergentem casum. v. g. in ma-



terius Elencticis specialioribus. Rectius  
pariter variationem ejusmodi dixeris *extra-*  
*ordinariam.*

## CAPUT II.

DE

TEXTU PRÆPA-  
RANDO.

§. I.

**P**ræparatio generalis fit per Exordium  
generale, specialis per speciale, post  
prælectum Textum.

§. II.

Id quod præ cæteris notari ab Auditorio  
volumus, ejus facienda aliqua mentio est in  
Exordiis, auditu nondum defatigato.

§. III.

Quia exordium ex ipsa *rei* cura natum  
esse debet, hinc ultimo fere loco decerni  
de Exordio solet, ut meditatione prius fa-  
cta constet, quid animum Auditoris digne  
& salubriter præparet. Aug. 1, 4. §. 40.

§. IV.

Exordia ordinariæ sint placida, nisi quod  
quandoq; graviore cum affectu sermonem  
ordiri prodest, v. g. Festo quodam eximio,  
die pœnitentiali.

Per totam concionem attendendum a-  
lias



lias est in *pronunciatione*, ut ea rebus sit consentanea.

## §. V.

In Exordio cogitandum primum est de aliqua Thesi, secundo de *Transitione*. Thesis debet attemperari ad futuræ propositionis vel verba vel sensum. Sic enim obtinetur docilitas. Cui non obstat, incipere Exordium ab ipso aliquo Scripturæ loco; subsequente Thesi vel Paraphrasi. Excipit dictum vel Thesin probatio, & amplificatio brevior, prout res postulat.

Parce instituenda est in Exordio Exegesis grammatica, nisi summe necessaria sit aliqua Exegeseos pars, sine qua vel argumenti cognitio vel *transitio* non possit cognosci; item: si opus sit vindicatione Textus ex Grammatica. item: si Exordium sit pars Textus tractandi; quo in casu id ipsum pars est ipsius Tractationis.

Condonari etiam Exegesis potest in Exordiis, cum tractamus variando Pericopas annuas.

Quibusdam datum est, ipsa argumenta Exegetica *realiter* proponere, sive exegetin statim ad efficacem usum inflectere, inditâ formâ Locorum communium.



## §. VI.

Tandem *Transitio*, quæ æque attente est elaboranda, ostendit, an, & quomodo Exordii Thesis cum Themate Tractationis conveniat: aliquando opus est, ut non tantum Textus repetatur quoad verba, sed & præmittatur summa partitionis. Aliquando sufficit brevior Thematis intimatio, & commendatio, cum voto.

## §. VII.

Fontes Exordiorum sunt varii. Est fons a dicto *Scriptura*, vel loco *parallelo*. Tale Exordium qui desiderat, is terminum objecti evolvat in concordantiis, sive verbalibus sive Realibus, modo sibi non ipse, præripiat argumenta ad ipsam tractationem pertinentia. v. g. ad Textum Marc. VII, 37. licebit Exordium capere à Locis parallelis Pf. XXXVII, 5. aut Pf. LII, 10.

## §. VIII.

Alius fons est ab enarratione Textus *Paraphrastica*, si è Textu aliquam tantum portionem verborum prælectorum tractare velim, vel synthesin formare cupiam e Textu, qui tamen opus habet analysi. v. g. Si ex Luc. XVIII 31 - 43. agere tantum de passione Christi instituum, tunc Historia Bartimæi inserta tractari potest in Exordio.

Cogna-



Cognatus fons est à *summa* Textus & ab ipsa materia, nempe cum materia abundat, & quoad ea, quæ in ipsa Tractatione vix locum acciperent commode.

## §. IX.

Sæpe exordimur à *commendatione* Textus vel argumenti v. g. Si Textus quis sapius legatur in Bibliis, facit id ad Textum Auditoribus commendandum.

## §. X.

Item, à *coherentia* Textus cum antecedentibus, præcipue, si Textus est difficilis, observatur illa coherentia quandoque ex particula aliqua v. g. Matth. IV. 1. Da ward Jesus zc. Propositio. Von Christi Versuchung nach seiner Tauffe. Si Textus sit ad Eph. I. 4. Exord. ex v. 3. commode potest sumi. Proposit: Die Gnadenwahl / als die rechte Zuwendung des himmlischen Segens. Sit Textus Matth VII, 15 ubi particula *de* Sehet euch aber me remittit ad v. 13. 14. hinc variatur propositio: Die ansehnliche Vorsichtigkeit / für falschen Propheten / als ein Mittel / sich auf dem schmalen Lebens-Wege zu bewahren.

## §. XI.

Illustis quandoque fons Exordii est à *vindicatione* dicti, Textus, vel argumenti con-



contra abusum. Qualia Exordia confecerunt illum integrum libellum D. Speneri vom Mißbrauch etlicher Sprüche Heil. Schrift.

## §. XII.

Textui Paracletico destinamus Exordium ordinarie ab afflictione, ubi *Transitio* facillima ab afflictione ad consolationem. In Textu Pædutico Exordium esse potest ab Epanorthosi, & in Epanorthotico Textu ob cognitionem a Pædia. Neq; in genere infrequens est fons, qui ducitur ab *opposito* vel *contrario*.

## §. XIII.

A *convenientia* Epistolæ cum Evangelio & vicissim. v.g. Luc. X. 23 - 37. Christus proponi potest: ut doctor beatitudinis, sed ex Epistola ejusd. Dom. Gal. III, 15 - 22. ut Testator beatitudinis.

## §. XIV.

Fons à *typo* ad antitypum, sive ille sit scriptus expresse v. g. Matth. II, 23. sive assumptus ex sobria accommodatione, cujus jus legitur Ebr. XI. 32. at requirit magnam exercitationem in viis Domini ex S. Scriptura. Ebr. V. II - 14. & Ebr. VI. I. seq.

## §. XV.

Datur & materia exordii a *convenientia* cum *presenti tempore*, à consuetudine sacra,

cra,



era à libris Symbol. ex Historia Ecclesiast. ex Catechismo, ab hymno sacro vel ejus parte; ubi Transitio est ab humano testimonio ad divinum.

## §. XVI.

Si in Tractatione subsequente difficiliora quædam dicenda sint (e.g. Gal. III, 15-22) præmittantur *faciliora* in Exordiis, allatis primis rei persuadendæ principiis, dictisq; classicis notioribus. Quo casu fieri potest, ut duæ, tres, aut plures sint Theses Exordii. Neque erubescimus tum, istas Theses aut hypotheses expresse numerare. Malumus enim rei & Auditoribus consulere, memoriæque, quam nescio quid per artem simulare vel disimulare.

## §. XVII.

Cum Schema tractandum est ignotius, vel allegoria; Schema aut taceas in Præloquio, aut prægustes modo, terminosque allegoriæ adaptes auditorum captui.

## §. XVIII.

Quod si in lectione Bibliorum privatâ, deprehenderis verba emphatica, vel dicta quædam singulariter momentia, ex quibus spes est, fore, ut & aliis possint esse usui ac ædificationi in agnoscendis viis gratiæ: statim dispice tecum, cui Evangelio vel Epistolæ



stolæ convenient. Sic enim propositionem habebis, de qua neque tu forsan aliàs, neque alius cogitasset.

## §. XIX.

Quando materia non potuit absolvi concione unica, vel quando necessarium videtur, eandem materiam inculcare crebrius, constat, exordium petendum esse à *repetitione prioris concionis*. Nec contemnendum illud consilium, quod habita concione, commodissime è vestigio cogitetur de *nova*. Ita inventio erit facilior.

## CAPUT III.

DE

## TEXTU APPLICANDO.

## §. I.

**U**ltima nostra præcepta sunt de Textu *applicando*, quoniam usus sunt *ultimæ* in Elocutione, etsi non in meditatione.

## §. II.

Per applicationem h. l. non intelligitur applicatio argumentorum Rhetorica, de quibus argumentis amplificandis ad scopum suum subinde *reducendis* cap. I, diximus, & propter *digressiones* necessaria est.

Sed



Sed intelligitur applicatio rei tractatæ ad  
usus & conscientiam auditorum nostro-  
rum.

Unius dicti unicus quidem est sensus li-  
teralis, sed usus multiplex, fluens ex amplis-  
simo scripturæ sensu.

## § III.

Tot sunt usus, quot dicendi genera.  
Hæc enim Textus applicatio fit vel dog-  
maticè: Per usum didascalicum, (tanquam  
basin relinquorum usuum) & Elencti-  
cum. Prædicè: per usum pædevticum,  
epanorthoticum & Paraceticum. Supra  
C. I. § II.

Etiam in applicatione dogmatica non  
nisi *οικοδομη* queritur, ut in practica *πα-  
ραμυθια & παρακλησις*. 1 Cor. XIV, 3, seq.

Quando Tractatio jam fuit mere dida-  
scalica in Methodo Syntherica: tunc forsan  
usu didascalico denuo non opus est, nisi  
per modum repetitionis & applicationis ad  
Catechismum nostrum &c. De *argumen-  
tis usum* maxime cogitandum est Ministro  
Ecclesie, quæ sunt vel ex præsentè Textu  
eruenta, & ad præsens auditorium accom-  
modanda, vel aliunde assumenda & dedu-  
cenda.

## §. IV.



## §. IV.

Quicumque ergo in usum aliorum decenter uti scripturam velit juxta mentem Dei, illamque explicare cum recta dispensatione Legis & Evangelii, illum profecto oportet scripturam transferre posse ad suum ipsius usum salutarem. De *πορίσμασι* extrahendis, legi potest Franckii laudata Manuductio p. 131-158.

## §. V.

Docemus præterea, usus debere esse *homogeneos* & adæquatos, vel respectu totius Tractationis, si usus sub finem tractationis subjunguntur, vel singularum partium sive divisarum, sive subdivisarum si usus miscentur. Prius est facilius: posterius difficilius quidem tyronibus, sed sæpe utilis Auditoribus, quo ultimo in casu, loco usuum finalium, fit repetita quædam applicatio sive *ἀνακεφαλαιωσις*. Neque obstat propter præsens Auditorium, vel moniti Specialioris momentum, usum aliquem *specialem* urgere præcipue, ac inculcare, qui forsan videretur inadæquatus & particularis. Est enim satis adæquatus Auditorio. Tales usus Homiliis suis ut plurimum subjunxit Chrysofostomus. Supra c. I. §. 48. 30.

## §. VI.



## §. VI.

Argumenta & cautela usus *Didascalici* facillimè adsumuntur ex apto aliquo systemate, quod aptatum est non tantum ad quasdam controversias, sed & ad *universam* œconomiam salutis, ac respectu, saltem tacite, habito ad omnes quinque usus Theologicos.

## §. VII.

Argumenta & cautela usus *Elenchtici* præsupponunt veritatem facti ex probata Historia Ecclesiastici vel Praxi notoria. Sæpe protestantur adversarii, fieri sibi injuriam. Sæpe vero protestatio facta est contraria. Hic valet illud Augustini, uti & in aliis: *Ne moveamus, quod auferre non possumus.* Deinde hoc in casu potest procedi tum ad monitionibus hypotheticis, absque nomine, tum ut per proximas consequentias ostendatur periculum doctrinæ, si talis ea fit. Denique maximum robur consistit in stabilienda Thesi 2 Petr. III, 17. 18.

Et in libera, & in pressa, quam vocant, Ecclesia, Elenchus, scripturæ conformis, in necessariis ad salutem tuendam, tractandus est. In hæresibus vero, dudum antiquatis recensendis, parcendum ecclesiæ. Quæ & plura alia moneri solent in collegiis nostris polemicis.

## §. VIII.



## §. VIII.

In usu *pædewico* non negligendum est argumentum à necessario, à possibili per fidem in Christo Jesu, ab æquitate, ab Exemplis piorum, à tempestivo & opportuno. Quando ostenditur necessitas seu *Tò* arduum præceptionis, potest ac debet simul remitti auditor ad preces, ideo ad DEUM faciendas. Quando adjungitur argumentum ex legibus Reipublicæ, mandato Magistratus, usu Christianismi in ipsa Reipublica, aut re familiari: tunc cavendum, ne Auditores putent, sibi agere licere ex respectu temporali. Repete ultimum monitum §. 26. c. 1. ne ulla regnet *παρδεία*, nisi *ἢ ἐν δικαιοσύνη* 2 Tim. III, 16. Tit. II, 12. III, 8. 1 Tim. 2, 3. sqq.

Lex temperetur oblatione Evangelii, & argumentis Evangelicis.

Distingvenda est conversio prima vel similis primæ. h. e. pœnitentia lapsorum relapsorumque (ut Apoc. II, 5. ubi textus est *pædewicus*, cum argumento a comminatione) a renovatione, seu studio quotidianæ pœnitentiæ stantium.

## §. IX.

In usu Epanorthotico, qui carni maxime ingratus est, vel maxime oportet uti selectis



lectis verbis, cogitatisque, ne ipsimet po-  
stea angamur de excessu vel defectu.

Ostendi simul frequentissime debet, quo  
pacto rectior status obtineri, pravitas vero  
superari *possit*. Nam hæc est proprie illa  
*ἐπινοηθῶσις* Apostolica, quam sequitur  
*παιδεία* 2 Tim. III, 16.

Argumenta *ab indecoro* locum suum  
omnino habent; sed ne quis putet, velle  
nos acquiescere sola probitate morali, præ-  
mittenda & præferenda sunt argumenta  
interiora, cum refutatione exceptionum,  
vindiciis dictorum scripturæ, quibus abu-  
tuntur Hypocritæ. Confer, sis, quæ de no-  
modidascalis observavimus in diss. de Vera  
& F. Doctrina p. 18--25. 32. 46. F. C. p. 363 sq.

In descriptionibus vitiorum ne indul-  
geat concionator vocabulis plebejis, pудо-  
rem violantibus, aut carnem irritantibus,  
ridiculo vel comico dicendi genere.

Materiam omnium usuum specialio-  
rem habebis, si animo percurras *Tabulam Lu-  
theri æconomicam, Haus-Tafel, catech.*  
mai. Spen. tabb. catech.

In deplorando statu *totius* Ecclesiæ, opus  
est cautelis illis quæ habentur in Speneri  
libello vom *Branch und Mißbrauch der  
Klagen.*



In reprehendis scandalis, cave pun-  
gas *ambigue*, sed loquaris aperte. Si Tex-  
tus præsens non adeo sit aptus ad specialem  
quandam Epanorthosin: ne torqueas illum  
anxie, ut ne enervetur per artem verbi effi-  
cacia, nec pudeat de novo quasi ordini, po-  
tiusque expresse dicere: te præterea urgeri  
ad hoc vel illud monendum adhuc coram  
Ecclesia.

Circa personas singulas cum tolli non  
potest scandalum privata correptione; spe-  
cialia utique (quæ pro *personalibus* in sensu  
famoso non habenda sint) objecta sistere  
licebit, adhibitis gradibus.

Usui Epanorthotico justo sua vis & ope-  
ratio prorsus eripitur per vagam, & saltato-  
riam quasi subjunctionem usus paracletici,  
it. per promiscuos *μαναγισμὸς* in sermoni-  
bus Exequialibus.

In comminationibus & pœnis denunti-  
andis, abstinendum determinatione tem-  
poris Jer. XI, 23. Inculcandum potius,  
quod si differatur ira ultima, tarditatem  
gravitate compensatum iri. Eccl. VIII 12.

NB In concionibus circa res indiffe-  
rentes, quæ vulgo sic dicuntur, (*Mittel-  
Dinge*) ponendum est ante omnia funda-  
mentum (1) quod impuris omnia sint im-  
pura



pura Tit. i. 15. adeoque non sufficit, ut res aliqua possit forte in abstracto concipi, tanquam res indifferens, sed informandi sunt homines in concreto, quia non abstractis concionamur, sed auditoribus in concreto. Rom. VIII, 6. (II) Dubitante conscientia nihil esse faciendum. Rom. XIV, 23. (III) Considerandam esse infirmitatem humanam, ne conjiciamus nos in periculum in rebus, ad quas caro ultro prona est Sirac. I, 31. XXXII, 25. fugiendam esse occasionem peccandi & scandalum piorum.

## §. X.

Ante vel sub utrumque usum potest præiri vel institui *examen conscientie*, non tantum in sacris publicis pœnitentialibus, sed & omni alia occasione. Quantum vero fieri licet, in aggressione & productione hac conscientie removenda est suspicio, ne quis ea putet propalari, quæ specialissime confessus alius est in confessione secreta.

## §. XI.

In usu Paraclético 1) exprimendus est *status afflictus*, cui opponitur *consolatio*. Hæc sit 2) adæquata & sufficiens, eumq; in finem aliunde etiam, cum necesse est, assumendum robur; alias enim malim taceri. 3) propter mixtum variumque statum hominum



minum haud inepte ipsi usui Paracletico insperguntur blandiores stimuli, & Epanorthoses. Quo in consolandi genere excelluit Lutherus in familiaribus Epistolis Pf. CXXI, 5. Jer. XXXI, 15. sq. Ratio solatii, sive argumentum Paracleticum, consistit in eo, quod sic coerceatur in nobis regnum peccati, quod hoc nomini non sit damno, quod Deus non injustè permiserit afflictionem. Es. 27, 9. 4) instructi simus ad refutandas *exceptiones*, quas *tentati* solent regerere. Libri eo conducentes commendabuntur in lectionibus.

## §. XII.

Quoad *ordinem* usuum notandum, quod usus didascalicus quidem primo consistit loco, sed aliquando (supra §. 3.) statim sequi potest e. g. usus Paracleticus, & Concio fini-ri pro renata cum usu Epanorthotico.

## §. XIII.

Hic vel maxime opus est cautione, & subinde monendi sunt Auditores, ut, si quid videatur imperfecte vel ambigue à nobis dictum in concionibus, (queis omnes tacent, ut audiatur unus) privatim ipsi interrogent. Conf. August. §. 41.

Adjici & tum potest votum, ut Deus ipse, sancto suo Spiritu suppleat, in animabus



bus Auditorum nostrorum, loquentium defectus; tum monitum, ne Auditores, habita & audita concione, statim immergantur aliis negotiis, sed ut ruminent verbum Dei penes semetipsos in intimis conscientia, ad agendas radices.

## §. XIV.

Quod è Thesi generali liceat *specialem* usum excerpere, patet exemplo Christi, qui explicatio quinto Præcepto concludit *in specie* ad necessariam reconciliationem. Matth. V, 22. 23. 28. 29.

## §. XV.

Quoad numerum ipsorum usum, non necesse est omnes unica concione producere.

E Textu etiam Epanorthotico educi indirecte potest aliquis usus consolatorius. Ebr. IV, 3. III, 18. Matth. VI, 34-30-27.

In Textu Prophetico usus quasi didascalicus erit à *complemento vaticinii*, factâ simul dogmatis ipsius probatione. Luc. IV, 21. Sic enim præparatur applicatio ad nostra tempora.

Genera usum distincta pertractantur quidem rectius distincte, sed quandoque fati commode misceri poterunt applicationes cognatorum generum v. g. Didascalici



lici & Elenchtici, vel Pædevtici & Epanorthotici, ut usus evadat Didascalico-Elenchiticus, Epanorthotico-Pædevticus, vel didascalico-paraclericus.

## §. XVI.

Aliquando Textus specialis tractatur absolute h. e. contextus quasi non consideratur, respectu sc. externæ dispositionis; attamen, Textu sic *absolute* quasi tractato, applicatio postea in usibus simul desumitur è textu *relate* spectato. e. gr. ex 1 Cor. VI, 19. Didascalice & absolute tractare possim locum communem de sanctificatione. Recte tamen postea usus Pædevticus specialissimus hic erit: *Cavete a scortatione* propter relationem cum vers. 18. quia non alio fine sanctificatio ibidem inculcatur, quã prout est argumentum pro devitanda scortatione.

## §. XVII.

Hæc sint aliqua adminicula in homileticis, ex quibus sponte plura succurrent. Opus vero maxime est continuo regressu ad causam Principalem scripturæ S. nempe ad Spiritum S. precibus assidujs cum confidentia sui ipsius; Ne de nobis dicendum sit illud Lutheri: *Nos posita oratione, fidentes literis, ingenio & studio, secure agimus, donec ipsi*



*ipsi facti simus, qui vana loquimur, & generatio impia.* Tom. 2. Jen. L. fol. 138.

Ne in affectibus movendis hallucinemur, flectendum est ipsum cor nostrum, inter preces, ad affectum *commiserationis & amoris*, de quo, tanquam fundamento omnium affectuum, Franck. in *manu duct.* p. 217.

## §. XVIII.

Denique finita Concione, & si sentias, te in Spiritu & robore prædicasse, trade te totum humillimæ gratiarum actioni, remotus paulisper à consortio hominum, tibi que ipse attende, ne, quæso, corrumpi sinas animum tuum aliorum laudibus vel approbatione. *Quenstedt Eth. Past.* p. 691. 240.

SOLI DEO GLORIA.



CA

MO-





MONITA HOMILETICA  
collecta ex Commentariis  
FRANCISCI LAMBERTI Avenio-  
nensis de Prophetia.

§. I. De Oratione.

**T**u, quisquam accedis ad divinorum  
studium, *orare* debes, ut is, qui *li-*  
*teram* tribuere est dignatus, *spiri-*  
*tum* etiam donet, ne ipsa *litera* *ti-*  
*di*vertatur in perniciem, dum *solutaria* est. —  
cum tremore igitur, reverentia & precipus,  
ad Dei scriptorum *meditationem* accedere  
necesse est. *tr. 4. c. 5.*

§. II. de *premeditatione*.

*Premeditari* debes, *quid & quantum* lo-  
qui velis; sed cum ad concionem accedis,  
committe cor tuum, & os, & omnia Domi-  
no, & verbum tibi dabit, ut voluerit *tr. 5.*  
*c. 6.*

aliud iudicium est de eo, qui præ eccle-  
siæ negotiis, hoc est, necessitatibus ac con-  
solationibus fratrum aut infirmorum, non  
potest diu in studio occupari. talibus e-  
nim



nim ob charitatis ministeria præpeditis, sæpe copiosior spiritus datur, quam his, qui multum studuerunt *tr. s. c. 4.*

§. III. *de utriusque nexu per fidem.*

Meditationis quoque sit perpetua comes vera oratio, - ut auditus verbi, lectio, meditatio, oratio, & omnia, quæ facit, sint ex *fide*; quod alioqui non nisi peccata, & sine Dei spiritu esse possint. *ibid. c. 15.*

§. IV. *de abnegatione necessaria virium, questus, gloriæ, primorum, eloquentiæ humanæ.*

Videamus nobis, quotquot verbum Domini aut voce aut scriptis annunciamus, ne importune, *hoc est*, sine spiritu & oratione, ac cum fastidio & negligentia, *fiduciæque*\* humanæ eruditionis, lingvarum, experientia, ingenii, aut propter *questum*, ad SS prophetandi actum accedamus.

Possumus quidem exigere vitæ necessaria: verum *proinde* non est prophetandum, ne illis annumeremur, qui propter pusillum hordei, tortamque panis, aut aliud quodcunq; olim prophetabant. *tr. s. c. 4.*

væ universis, qui sibi perpetui nominis *gloriam* in hoc seculo parare nituntur! - quam consultius faceres, si faceres tibi *nomen mortale*, hoc est, si ageres, in omnibus,



ut cunctis notum fieret, quod te *mortalem* agnoscis, & nihil ex te esse. - at dices: volo, ut perpetuo *Deus* glorificetur in me. - Dico: si sic *sentis*: cur non idem aperte profiteris? sed *vere* absque gloriae *tuae* appetitione vix praescriptum sermonem dicit. *Ec. ibid. c. 30.*

si inciderem in loca, in quibus aliquot *primoribus* volunt *comtiora* idiomata - *populus* autem potius caperet aliam linguam: absit a me, ut *primorum* causa privem Dei *populum fructu concionis*. scio enim, quod animae *nostrae* erunt pro animabus *eorum*, quibus verbum annunciare debemus, & non facimus. - peto, o minister verbi, nonne vis, ut sciant voluntatem Dei? - & tu, qui te *Dei* ministrum profiteris, cur non execraris Satanae *artificium*? - ut ad spiritum verbi pervenire haudquaquam possint. *c. 24.*

Melius est tibi, balbutientem salvum fieri, quam eloquentem desperire. tametsi habent veri fideles suam eloquentiam, mille millibus Ciceronibus clariorem. Sed delicata est haec eloquentia, & non nisi a sanctis percipitur, & eis solis *placet*. *Luc. XXI, 14. 15. tr. 1. c. 7.* quod si usque adeo carnis sensum in te regnare vides, ut studiis huma-



humanis ex fide incumbere nequeas, & per id noscis *tibi* verti omnia in perniciem: vitanda sunt *tibi* omnino, & ille humanæ eruditionis oculus potius abjiciendus est a te, quam per illud perdaris. melius quippe tibi est *Ec. ib. c. 8. tr. 4. c. 24. tr. 5. c. 11.*

\* Luth. T. 2. Jen. L. f. 138. b. Pauli apostoli, Athanasii, Augustini, & similium, qui docuerunt ecclesias, pericula, labores, *conciones*, sunt sancta opera, sunt vera *sacrificia*, Deo accepta. sunt *certamina* Christi, per quæ *repressit diabolum*. Apoc. A. C. p. 95. 230.

#### §. V. de apparatu.

Ab sit a nobis, ut damnemus opera Dei. & certe non minus est opus Dei, eruditio vera humana, ut: artes liberales, & pura philosophia; quam lapides & ligna. volumus, ut semper eloquiorum Dei *frenum* adsit. - cum id faciendum putas, non aberrabis, te docente veritate æterna. te namque Domini sermo *retinebit*, ne plus æquo illis afficiaris. *tr. 1. c. 8.* magna siquidem veræ eruditionis pars est, nosse, quid ad eam nihil conducatur, scireque abjicere, quicquid inutile est. *c. 10.* cum notum sit, omnia incredulis verti in perniciem, & fieri non posse, ut infidelis eruditione humana recte utatur. *c. 6. tr. 2. c. 6.* vis, ut tibi conducant erudi-



## 44 MONITA HOMILET.

ruditio & linguæ? adhibe perpetuo *censo-rem* Spiritum Dei, & non incidēs in muscipulam *tr. 2. c. 8.* sed effrenati homines mul-  
 ti, divini timoris ac spiritus frenum abji-  
 ciunt, & putant a carne spiritum nasci, tri-  
 buentes ipsis *prophetiam tr. 3. c. 12.* gloria  
 est, & confessio magni nominis Domini,  
 ut scil. his studiis vacans, cum freno spiri-  
 tus ac verbi Dei, reperias, in quo nomen  
 Domini glorifices, per id verbum in eis  
 reprobando, quod est reprobandum; &  
 approbando, quod est approbandum; & me-  
 ditando divinorum humanorumque diffe-  
 rentiam *tr. 4. c. 24.*

## §. VI. de usu &amp; abusu.

*Abuti* est non recte uti, aut potius non  
 uti, aut diversum abusu facere. voco au-  
 tem *usum*, non consuetudinem, sed dum re-  
 bus utimur *in finem suum.* & vere is solus  
 rebus uti dicitur qui eisdem utitur secun-  
 dum earum naturam, *hoc est, secundum id,*  
*ad quod illa fecit Deus.* alioqui *non nisi* abu-  
 sus est, diversum sc. ab usu. *tr. 2. c. 3. sq. tr. 3.*  
*c. 7. & in pref. ad Argentoratenses, quos lau-*  
*da.*

## § VII. de usu linguarum.

Ulus linguarum est, ut possimus sicut  
 decet, ad invicem conversari. sed non est  
 pri-



primus & summus usus; etiamsi ita videatur hominum iudicio. - primus est in hominum oculis: sed in oculis Domini alius est, eo valde superior, nempe, docere veritatem Dei, *tr. 2. c. 2.* non putes, o lector, quod damnem linguarum studium; quod omnes cum Paulo velim loqui omnibus linguis, si fieri posset. non damno linguas, sed abusum illarum nocentissimum, crede mihi. si habueris spiritum Domini, linguæ peregrinæ fient tibi utilissimæ, & per id non raro aliquid facilitatis habebis, ut nonnullos locos citius capias. *tr. 2. c. 5.* nec puto, quempiam tam vana superstitione affectum, ut nolit omnino linguas *proinde* doceri, quod incredulis fiant in perniciem. nam tum nec Dei sermo *predicandus* esset, ne ipsis fieret in interitum. Sancti hæredes sunt mundi, & eorum sunt omnia; ergo & linguæ. non sunt ergo occultandæ ab eis, sed diligentissime educandæ; modo ex fide & spiritu J. C. & quod in scripturarum interpretatione nihil *fiducie* eis apponatur; aut nihil eis tribuatur, quam quod externum est. - utinam id fieret in universis fidelium urbibus, & primis oppidis, ut in scholis linguæ peregrinæ, præsertim Hebræa & Græca, docerentur. - summe autem  
inter



inter hæc vitandum est, ne sic nobis acci-  
dat, ut olim cæcis scholasticis, qui tam mul-  
tum tribuerunt humanæ philosophiæ ac di-  
alecticorum argutiis, ut non erubescerent  
asserere, quod \* *sine* his haberi non poterat  
notitia *veræ* theologiæ. - doceantur ergo  
linguæ præscriptæ, non ut *res*, a quibus *pen-  
deat* aut gignatur in *corde* tuo scripturæ *veri-  
tas* sed ut per eas sane habeas literam scri-  
pturæ. *tr. 2. c. 6.*

\* *conf. tr. 1. c. 9. tr. 3. c. 10. 12. tr. 5. c. 34. n. 6. c. 38.*  
quid notandum sit, cum Hebræi aut Græci  
codices pro *fontibus* habentur, lege, si placet, *tr.*  
*5. c. 36.* & ultima *tr. 4. & Luth. T. 2. Jen. L.*  
*f. 192.* recte vero vocantur *fontes*, quantum  
nos quidem existimamus, *comparati* gram-  
maticæ cum versionibus.

§. VIII. *de momento in homileticis.*  
*de precatio autoris.*

Ecclesiæ Christi nihil magis necessari-  
um verâ & fideli prophetiâ: infideli vero  
nihil perniciosius. *proinde* nemo admire-  
tur, quod tam instanter agimus, ut pura sit,  
veraque prophetia, nihilq; admixta veneno  
*fiduciæ* humanæ eruditionis atq; linguarum.  
*tr. 5. c. 27. 3.*

væ nobis miseris, qui tam sæpe *importune*  
*predicavimus.* de me & similibus loquor.  
miserere nostri, Domine, & noli nobis hoc  
scelus



scelus imputare, sed remitte & tege illud per D. I. C. per quem & nobis dona, ne unquam importune ad hoc S. munus accedamus; ne sermonis tui sanctissimi adulteri simus *tr. s. c. 4. 9. 17. 43.*

quia autem cupio, ut is labor noster ecclesiae Christi utilis sit, obsecro per D. N. J. C. ut nemo definiat, quod contra hunc aut illum scripserim; maxime cum aliquid posui adversum eos, qui literam nimium adorant, spiritus ferme obliti, testificor enim coram eo, cujus oculis nuda sunt omnia, quod ab annis pluribus fuit hæc res in corde meo. & posteaquam Deus me dignatus est facere participem veritatis suæ, omnes literarios, *id est*, literæ plus quam spiritui addictos, & illi tribuentes, quod spiritui debetur, summe abominatus sum, scio enim, quam sit mortifera ac pestifera res, nempe *heresis quæ vix deprehenditur*. propter quod & nocentior est. - nemo judicet, nos contra hunc aut illum scripsisse; etenim pium nullum offendere volumus, neq; hoc scripto quispiam offendi potest. nimirum non contra eos, qui cum pietate, & in linguis & in literis politioribus aut philosophia sunt eruditi, quicquam scripsimus, sed contra eos, qui eruditioni & linguis tribu-

unt,



## 48 MONITA HOMILET.

unt, quæ soli spiritui tribuuntur. &c. *in  
præf. & tr. 3. cap. 12.* nam quemadmodum  
non est \*ab operibus *justificatio*: ita nec a  
linguis *veritas* - demum sicut opera sine  
fide sunt peccata & impietates, quantum-  
libet in faciem bona videantur, ex fide ve-  
ro sunt bona, sancta, utilia: ita linguæ sine  
fide instant - cum fide vero sunt bonæ &  
admodum utiles. *tr. 2. c. 7. tr. 3. c. 12. 6.*

\*eo & Augustinus passim contendit *l. de spiri-  
tu & litera*, ex quo nonnulla afferuntur in  
*apol. A. C. p. 77. 80.* vicissim accepimus, quæ  
Lutherus monet *in articulis Smalcaldicis p.  
332. sq.*

## §. IX. de usu literali S. Scripture.

Ne potest quidem incredulus pleno  
corde bene sentire de *litera* verbi *DEI*,  
quam profert. *tr. 3. c. 4.* omne *hominum* opus  
ideo *litera* ex se & caro est. - omnia *homi-  
num* judicia, etiam quæ spectant ad Dei ver-  
bum *litera* & caro sunt. - id est, de his quæ  
*ex nobis* de divinis eloquiis judicamus, mul-  
ti nesciunt, nec credere possunt; quod sint  
*litera* & caro, & tamen nihil hac re certius,  
quod, quicquid *nostro sensu* judicamus de  
verbo Dei, *litera* est. sit hoc exemplum.  
proponit quispiam hanc scripturam: ju-  
stus ex fide vivet. vel hanc: verbum caro  
factum



factum est. audit hæc quispiam sapientum hujus seculi, & de his *concepit* iudicium conveniens literæ scripturæ. denique *ex ipso* iudicio loquetur, sicut scriptura exigit, *sed omnia ex humano sensu*. Jam quæro, an hoc iudicium sit litera? dicimus, nihil omnino, quam literam esse. † hoc est, non nisi in hypocrisis potes acquiescere veritati. *tr. 23. c. 6.* en! quod Balaam Num. 24. literam habuit, prophetans vel invitus veritatem Dei. gustavit etiam forsân verbi sancti dulcedinem; sed *ipse litera spiritus non placuit ei, nec illi toto corde acquievit ib. c. 7. 12.* incredulis quippe ac carnalibus, omnis Dei scriptura & veritatis prædicatio, in iudicium convertitur. ergo ipsa Dei sermonum litera\* sine spiritu, non minus, quam alia, imo plus, quam alia, est perniciosa, *ib. c. 17.*

\* intelligitur ratione status, in quo talis homo est. ceu ipse Lambertus c. 1. præmiserat: *in animo litera utentis. nam sine spiritu nequit aliud, quam abusus esse.* quid? quod ibidem peculiari capite quarto jam egerat, de eo, quid sit ipsa Dei litera, ratione ipsius Dei, *litera aterna veritatis*, expavescens sic dicere, vocem eloquiorum Dei prolatam ab impio verbum diaboli esse. (non enim reperies Est & Non in hoc scripto nostro. *tr. 2. c. 6.*) Luth. T. 2. Jen. L. f. 137. a. 138. b. Varen. l. 1. pro Arndtio p. 177 180.



## §. X. de anima literæ &amp; concionum.

Habes *literæ spiritum*, si, quod Deus te vult ex ea nosse, intelligis, & illi toto corde adquiescis, ab ipso literæ spiritu nihil dissentiens. *tr. 3. c. 7.* durus est hic sermo carnalibus, qui (sic) introire nequeunt in potentias Domini. sed *vere* nihil sub cœlo dulcius, si tandem fuerit datum tibi, ut differentiam carnis vel literæ, & *animæ* vel spiritus Scripturæ sane percipere queas. noli ante tempus judicare, tu, quisquis es, sed teipsum coge ad inquirendum cum omni humilitate & omnis eruditionis diffidentia, multa autem fiducia in DOMINUM, quis sit spiritus, quæve *anima literæ*. *tr. 2. c. 5. tr. 3. c. 3.* est autem hic spiritus, id, quod *ex* omni litera primum a nobis exigit Deus, \* *voluntas* sc. ejus. quæramus ergo *ex* omni litera, quid *ex* ea a nobis ante omnia Deus velit. quod si donaverit Christus, ut reperiamus, illius spiritum invenimus. imprimis autem de scriptorum Dei spiritu seu *anima* agendum est. eorum spiritus est *voluntas* DOMINI. Idem quoque sentiendum de spiritu *predicationis* verbi Dei, nempe quod non sit aliud, quam voluntas ejus, *tr. 4. c. 4.*

ad id observa, quod duplex est literæ sensu-



fus. primus est, quem sensus *noster* concipit. & est caro. quod fieri non possit, ut sensus ille purus sit, quod non sit ex fide. secundus est, quem Dei spiritus immittit, quem nos Spiritus S. scopum vocamus. - fit iudicio Dei, ut *etiam in litera* scriptorum Dei sapius errent, qui spiritum illum, quem *litera* maxime requirit, parvi ducunt. - vide jam, lector charissime, si absque causa tam multis adversus literariorum haresin pugnavimus. *tr. 4. c. 13.*

\* est enim *perpetua voluntas evangelii* consideranda A. C. p. 43. 32. l. 11. 153. sq. 106. l. 2.

§. XI. *de textibus.*

Igitur in primis themata ex sola Scriptura accipere necesse est. vide autem, ne, si textus longus est, definias, quod totum eadem hora explicabis; nisi videas, quod scopus facilis sit, absit ut velim definire, & limitem ponere sanctis concionibus, verum id consulo, *Sc. tr. 5. c. 9.*

§. XII. *de exordio, de voto, de praelectione textus.*

Ubi adest concionandi hora, post studium & meditationem, - cum omni tuae sollicitudinis ac peritiae diffidentia, magnaue in Deum fiducia, aggredere in nomine Domini,



mini, quod dicturus es. nolli autem anxie nimium inchoandi uniformem servare modum, tantum ne ceremoniosus ac superstitiosus sis. nimirum ceremoniarum exacta observatio, spiritum imminuere & fere extinguere consuevit. - idem est, quacunque ratione inceperis; modo ex spiritu & fide. incipere ex spiritu & fide idem est. ex fide enim incipit, qui spiritum vocis aut literæ, quam profert, in corde habet, ut, dum dicit, *in nomine P. F. & Sp. S.* non dicit aliud intra se; quod sc. in nomine proprio, aut Papæ, aut hominis cujuscumque velit prophetare. in Dei nomine vult prophetare, qui in ejus gloriam, & in ejus Spiritus fiducia id proponit. in nomine autem proprio id vult, qui propriam ex concionandi actu gloriam quærit, aut non Dei purum verbum, sed & sua, aut sola aut mixta divinis, vult annunciare, aut, qui etiam volens annunciare purum verbum Dei, putat se id posse facere, quod prius studuerit & meditatatus sit; aut merito propriæ orationis; aut *fidit* proprio ingenio, arti, industriæ, experientia, eruditioni, linquis, *tr. s. c. 7.*

quod attinet ad orationem, quæ simul ab ecclesia, vel sub silentio, vel psallendo fieri debet, primum concionator mox, ubi loqui



EX COMMENT. LAMBERTI. 53

loqui exorsus est, invitet ad ecclesiam, ut simul & cum magna fide orent DOMINUM, ut multa cum sui Spiritus virtute, sermonem tribuat evangelizare volenti, universisque audientibus, cordis aurem aperiat, ne veritatis prophetia illis vertatur in iudicium, & perniciem *ib. c. 8.*

laudarem, si quis confestim, ut ab oratione surrexit, diceret: (sine pompa magna eloquii) nunc declarabimus hunc aut illum locum hujus aut illius libri: statimq; ex libro legat, ut conterat superbiam & vanitatem, qua multi voluere videri memoriae tenacis. *ib. c. 9.*

§. XIII. de partitione.

De totius vero concionis ordine, vide, ne artistarum more, velis perpetuo in dividendis eisdem unum servare modum. ut, duas aut tres partes facere. id magnis cura, ut invenias primos locos textus super quo prophetas, - sicut melius esse videbis; tantum ut omnia libere, & non quasi ex lege ac necessitate, ordinem textus purissime serva, & summe devota, ne uraris eorum vanissimo artificio, qui partes pariunt per rythmos, omnes aut in iis in os, aut aliam syllabam finientes; & latine quidem, putantes, quod alioqui non liceat. sed ad

D 3

quid



54 MONITA HOMILET.

quid hæc atque similia cuncta, nisi in superbiam & abusionem? quæ piis grata quidem esse nequeunt, impiis vero fiunt in perniciem, nimirum per ea fiunt indies vaniores. si ex Deo es, ô minister verbi, docebit te Spiritus ejus ordinem, qui suæ ecclesiæ utilis sit. tu autem interim modis omnibus devita, quicquid spiritus integritatem solvit. *tr. 5. c. 9.*

§. XIV. *de locis parallelis.*

De enarrationibus Scripturæ, aut voce aut scripto factis, pari ratione id nosces, videlicet, si consentiunt aliis Scripturæ locis bene intellectis. verum hoc sit tibi certum, quod nullo scripto aut voce potest id doceri, nisi adsit ipsius divini Spiritus lux. - Ipse quippe Spiritus, illorum spiritui de necessariis omnibus testimonium perhibet, & *ex litera* Scripturæ omnem veritatem docet. *tr. 4. c. 23. item c. 22. §. omnium.*

§. XV. *de allegationibus.*

Viderit autem, ne eorum æmuletur ingenium, qui, ut præ cæteris *spirituales* videantur, id solum agere videntur, ut multa undelibet ex divinis scripturis consarcirent; quasi omnia ipsorum scripta, Dei purissima essent eloquia; interim parum observantes, an, quæ ex Dei scriptis assumunt, suis  
asser-



assertionibus congruant, vel non-proprie-  
sime igitur omnes scripturæ textus alle-  
gentur, ne prophetiæ nostræ mendacia  
sint, cum timore enim & tremore multo  
omnia Dei scripta interpretanda sunt. ne-  
que rem leviculam esse putemus, id obser-  
vare. - nullus ergo Scripturæ textus allege-  
tur, nisi in sensu nativo, in quo a Domino  
revelatus est. *tr. s. c. 33.*

Nemo tibi, o verbi sancti minister, po-  
test definire, præter id, quod non legimus  
Apostolos multis obruisse simul testimo-  
niis eos, quos docuerunt; Spiritus Domini  
docebit te, quæ & quot allegabis, si ei soli  
te committis. proba veruntamen interim  
cor tuum, dum plures (locos) adsumis, an  
quæ vanitas moveat te. *tr. s. c. 10.*

§. XVI. *de textu historico.*

Vere in nulla Scripturæ textu *literæ spi-  
ritus* utilius quæritur, quam in historiis san-  
ctis. *tr. 4. c. 18.* (ibidem vide exempla.)

§. XVII. *de textu parabolico.*

Intentissime in parabolis quære spiri-  
tum, ut spiritualis sit enarratio tua. & id  
noli negligere, quod maxima sit omnium  
parabolarum S. Evangelii vis, ad quam fi-  
eri non potest, ut quisquam perveniat, ni-  
si habuerit sensus in Scripturis exercitatos.



*tr. 4. c. 21.* videntes nonnulli, D. J. C. parabolis & similitudinibus aliquoties usum, tentant ubique idem facere, & antequam ad concionandum accedant, hæc summo studio multisque diebus excogitant, scriptitant, ab aliis mendicant, se proinde tam misere discruciantes, ut nemo satis recensuerit. at non ita licet fidelibus, sed sic est illis agendum. primum definiant, quem Scripturæ textum sint declaturari. orent & meditentur in eo fideliter, ne contingat proprii sensus venena afferre in scripta Dei. quod si inter meditandum venerint in mentem parabolæ aut similitudines: viderint, an per omnia scriptis Dei conveniant, & ab eis testimonium habeant. *Ec. tr. 5. c. 3.*

*Seckl. 2. f. 24. (2.)*

§. XVIII. *de textu prophetico.*

In omnibus visionibus aut somniis id est ante omnia observandum, quæ sit *mens* Dei, quam ex eis nobis vult maxime notam fieri. quod, ut fiat, non est opus omnia minutatim seu verbatim interpretati. nimirum paucissimis demtis, summa tantum ex eis est colligenda. multa non in eis ponuntur, magis ad similitudinis aut visionis decorum, quam ob rem speciatim significatam. - neque licet nobis ultra hæc, pro volun-



luntate philosophari, aut supervacanea-  
 quærere. id autem observet, quisquis fide-  
 liter interpretari cupit, ne, ubi in ejusmo-  
 di locorum discretione perplexus est, quic-  
 quam afferat, ne injuriam faciant Spiritui  
 Dei, dum ex scripturis ejus diversum ab il-  
 lius sensu prophetat. - vita etiam, ne pluri-  
 um more, ipsas visiones in alium sensum  
 referas, quam in eum, ad quem revelatæ  
 sunt, quandoquidem in visionum interpre-  
 tatione nihil hac in re pestilentius ac dam-  
 nosius. - idem ferme per omnia de parabolis  
 judicandum. *tr. s. c. 41. de typicis c. 42.*

Sunt nonnulli loci in prophetis & apoca-  
 lypsi, quos Dominos signatos esse voluit.  
 verum neque sic revelati sunt ut ex eis ali-  
 quid utilitatis ecclesiæ pro omni tempore  
 esse non possit. *c. 44. de locis perplexis, in*  
*quibus sc. perplexum est cor tuum, vide,*  
*nequid definias. confitere magis, quod est:*  
*nempe te in interpretatione perplexum.*  
*de interpretatione dixi, non, quod liceat*  
*quenquam perplexum esse in veritate &*  
*sensu Domini, qui sub litera requiritur; sed,*  
*quod aliquando non datur nobis, ut ad i-*  
*psum Domini sensum perveniamus. idcir-*  
*co tum humiliter profitenda est ignoran-*  
*tia nostra, & committenda est res Domino.*



scio autem, quod non semper ad perplexitatem sensus Scripturæ, sequitur *fidei* perplexitas - etiamsi ad eam non pertingimus *speciatim*; nam *generatim* id valemus, possumus enim credere vera esse, quæ per ea *voluit* significari Deus. interpretationes vero hominum suscipere, & illis credere, non adstringimur. *ib.*

§. XIX. *de textu aperto & proprio.*

In *apertis* textibus eo facilius a compluribus erratur, quo *nihil difficultatis* in eis iudicant. arbitrantur enim, quod mox cognitâ *vocum* interpretatione, spiritus literæ attingatur. sed longe aliter habet res\*. nam *omnis* cognitio, quam ex vocibus *humano sensu* concipimus, nihil aliud est, quam *litera & caro*. - spiritus autem literæ Scripturæ, est *mens & voluntas Dei*, quam vult nos *sub litera* inquirere, & quam nemo novit, nisi spiritus Dei. - & qui ea fide sic *predicat*, is vere prophetat. alioqui peccat prophetans, quod non nisi iuxta carnem & sanguinem prophetet. & tum insincerus & fallax est, dolumque in animo habet. *tr. 5. c. 40.*

\* Luth. in catech. p. 390. 395. 359.

§. XX. *de allegoriis. deprecatio auctoris.*

Nemo illis subscribat, qui textus Scripturæ spiritum, dicunt esse anagogiam, tro-



tropologiam, seu allegoriam, quæ in locis omnibus ferme excogitant. nihil enim minus sunt, quam spiritus literæ. non tamen damnamus allegorias, quas aut textus necessario exigit, aut illi maxime conveniunt. non est autem omnium, illas adducere, sed illorum, qui sensus habent in scripturis exercitatus, ne, dum putant tradere utilem allegoriam, figmentum cordis sui adducant.

*tr. 4. c. 4. tr. 5. c. 33. 34. n. 5. \**

infanivi ego peccator olim nimium in ejusmodi interpretationibus. sed postquam, dono altissimi, fui luce æternæ veritatis illustratus, hæc summe abominatus sum, sciens certissime, quod nihil minus ex scripturis *velit* Spiritus J. C. - igitur, ut puræ sint allegoriæ, observandum est, ut nulli afferantur, nisi, ubi aut maxime congruunt ex locorum circumstantia, aut a textu exiguntur. exiguntur ferme in omnibus legis ceremoniis, sacrificiis & similibus, item in ultima visione Ezechielis, ac cæteris ejusmodi; in quibus locis ipsa allegoria, est verus sensus Domini, ac spiritus literæ. *Ec. semper dic in corde tuo: absit a me, ut mea divinis admisceam! tr. 5. c. 43.*

\* Apoc. A. C. p. 277. l. 19. p. 234. sq. 181. sq. p. 286.

l. ult. p. 272. 416.



§. XXI. *de variis inventionibus.*

Ubi jam sunt, qui gloriantur in inventis suis? qui dicunt, pulchrum inventum! pulchrum inventum! - sed, quid fidelibus & ejusmodi figmentis? non figmenta, non inventa, sed solida, invicta, aeterna cœlestiaque volumus, quæ non homines adinventerunt, sed quæ Deus revelavit. si enim Scripturæ credimus, nostris adinventionibus nihil proficimus, nisi ad Deum in nostram perniciem irritandum *tr. 5. c. 3.* sic quippe arte augebunt conciones, ut ex culice elephantem, & ex faba montem faciant. *c. 6.* volunt videri, se nihil nescire, & in proprio, non Dei nomine, prophetant, cæci, fallaces & superbissimi antichristi, gloriam enim hujus seculi venantur, non animas Christi pretioso cruore redemptas. id de se dici cupiunt: en! hominem acris ingenii, tenacisque memoriæ, qui multa ex omni doctrinarum genere adduxit, ut confirmet themata sua! multas probationes pro & contra recitare potuit. id satis illis est: etiamsi nullus unquam convertatur. nemo fastidio teneatur, quod de ejusmodi tam abunde scripserimus. scimus enim, his quod non opus habent, qui Dei verbo docti sunt, verum pro multis nationibus *Ec. c. 10.*

§. XXII.



## §. XXII. de simplicitate.

Qui a Deo ad prophetandum, hoc est, ad verbi sancti ministerium mittitur, id perpetuo in mente habeat, quod Deus vult eum *notam* facere *voluntatem suam* populo suo. sciatque proinde opus esse, ut summo studio eandem *aperte* doceat; ita ut si fieri potest, nullus sit qui non sane capiat, quod Deus vult ab eo populo suo nunciari. - quod Deus vult clausum sive absconditum esse, tu nec debes, nec potes referare. - verum ea, quæ Deus nullatenus vult clausa esse, & tibi nota fecit, mittitque te i- deo, ut eadem populo suo annuncies, tanta diligentia anniti debes, ut eadem tam sincere ac manifeste doceas, quod nullus (non) ex plebe capiat te. quod (quis) ob id non resipiscit, quod non audivit verbum *apertum*, h. e. non intellexit, erit profecto anima tua pro anima illius, *tr. s. c. II. 28.*

## §. XXIII. de copia &amp; ejus opposito.

Vide, ne te seducat *affectus copia* secundum humanam rhetoricen, aut *nimum brevitas* studium. sat tibi *copia*, quam Spiritus J. C. administrat. *brevitatem* quoque ipse spiritus moderetur. cognita sic agere, quo sis utilior proxima, & ora Dominum, ut vias tuas dirigat, & ipse erudiet te. *tr. s. c. 28.*

mitte-



mitteris, ut *orator*, an ut simplex veritatis assertor? ejusmodi cupiunt caro & sanguis. - per id fructus verbi sancti nunquam non imminuitur. *ib. c. 11.*

§. XXIV. *de movendis planctibus.*

Novi ergo impiissimos homines, lusores, comefores, bibones, scortorum patronos, avaros, superbos, & in quibus omnia erant pietati oppositissima, vi quadam pollere sermonis, ut in concionibus mox possent ad *planctus* acerrimos efficacissime provocare. - ejusmodi autem *fletum* ac lætitiã a Spiritu Dei neptiquam esse, ex eo abunde notum fit, quod vix post horam a concione manent: imo neque manent omnino post ipsam concionem. quia enim a carne moventur, motore deficiente cessat & motio. contra hi, qui non nisi a spiritu literæ vocis moventur: permanent in ipso verbi spiritu, quod motor in eis permaneat, nempe Deus. summa: concionator eo fidelibus utilior, magisque eligendus, quo minus ceremoniosus est. nimirum pestilens admodum res est, ceremoniosus propheta, qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter. *tr. s. c. 2. 12.*

§. XXV. *de stylo.*

Non sit sordities eloquii, neque exquisitus



tus ornatus. - summe vita omnem obscuritatem, sciens pro certo, quod reus iudicio coram Domino eris, si *propter* obscuritatem styli tui non profecit (quis) ex prophetia, cujus minister es, & *ideo* non respuit, quod ex scriptis tuis voluntatem Domini intelligere nequivit. - dices: quantumlibet stylo vulgato usus fuero, semper erunt, qui non capient me. - animam tuam liberaſti, ſcribens, ſicut utilius eſſe putaſti. *tr. 5. c. 27.* ne ſtylum *propter ſe* exigas, ſed propter Spiritum. ipſe enim Spiritus ad *omnium* ſalutem deſiderandam efficaciffime movet; ad quod ſtylus peregrinus parum facit, quod a *paucis* percipi valeat. *c. 29.*

§. XXVI. *de latinis interlocutionibus &c.*

Latine, aut alia peregrina lingua, nihil inter propherandum loquaris coram populo, nec textus ſacros alia, quam vulgi lingua, pronuncies. ſi autem adſit cauſa exigens, ut unum & alterum verbum loquaris peregrino idiomate, ſic age, ut nemo cogitet, te alioqui id feciſſe, quam majoris fructus, & gloriae Dei cauſa. *1. Cor. XIV, 5. 13. 19. 27.* an quid enim latina, aut linguae peregrinae, ubi non eſt interpretatio? - qua vanitate & nos multis ſeculis laboravimus. *tr. 5.*



c. 8. 9. 17. quod si omnino quisquam vult loqui linguis in ecclesia, quæ sunt V. T. hebraice: quæ sunt N. græce pronunciet; modo aut ipse, aut alius idem interprete- tur. non reprobarem, si ita fieret, imo lau- darem; modo non verbotim, sed *sensus* ple- nus, absque superflua vocum observatione traderetur. *sincerius* autem fuerit, si omnia vulgi lingua peragantur. facile enim sedu- cit mentem linguarum curiositas. c. 20. profecto nulla est sub cælo lingua, in qua non possint exactissime annunciari eloquia Dei. nam si possunt, quæ conceperunt sic exprimere, ut capiantur: satis est ad pro- phetian. nonne possunt homines cujuscun- que linguæ, negotiari, docere, reprehende- re, & similia cuncta facere cum proprio lin- gua? - vere si omnia expendimus, non nisi ad superbiam & vanitatem pertinet. - heu mihi peccatori, qui hæc scripsi, qui toties hac in re aberravi! c. 24. 34. A. C. p. 23. F. C. p. 578. 651.

§. XXVII. de gestibus & pronun-  
ciatione.

Mirum profecto, quod multum fuerit hactenus desudatum - in gestibus - & vocis variatione. - quicquid omnino habent, suæ coegerunt servire execrabili vanitati, inter-  
rim



rim dicentes, quod *proinde* id facerent, ut verbum Dei *gratius* multis esset, in eisque efficacius operaretur. - quod si interrogas pios auditores: profecto, si nudam veritatem profitentur, se id genus histrionicis factis potius deficere respondebunt, quam proficere. - solis enim carnalibus hæc placent, quibus non verbum, sed vanitas in animo est. - tu autem, o fidelis Christi minister - vide, ne aliquando te alliciat fallax & sophistica pulchritudo hujus scorti impudentissimi h. e. *modi* concionandi. - *modus* unus est, ut videlicet simplicissime, & sine ulla fictione aut adulteratione vocis, quam a Deo accepimus, sic proferamus verbum, ad quod a Deo mittimur, ut omnes, qui assistunt, capiant, quæ pronunciamus. noningas novos *modos*, nec quæras *sequi hunc vel illum*, nec vel in minimo quidem violes naturam tuam aut vocem. sed pure, sine curiositate: mature, verum sine superbia: sic pronuncia, ut a Domino accepisti. - nullos gestus alios facias, quam eos, quos natura sine ingenio & arte administrat. attamen orandum tibi est, ut Deus, qui mittit te, cor, linguam, vocem, gestus, & omnia dirigat. *tr. s. c. 12.*



§. XXVIII. *de persuasionibus.*

Dicent forsitan: nos *ideo* istis solícite intendimus, quod videamus horum peritiam, nostrumque honorem converti *in gloriam Dei*, dum per id *magis creditur* sermoni Domini. *plus enim creditur*, in verbi Dei enarratione, linguas callentibus, & in *humanis* eruditis, *quam ceteris*. R. quod a carne sit ejusmodi *cogitatio*. - quisquis ejusmodi est, semper est incredulus, & *dolum* habet in corde. - vult Deus, ut credamus, quod a nulla re *externa* pendeat veritas, sed a solo Spiritu suo. - profecto qui *propter* eloquentiam aut humanam eruditionem audit verbum ab aliquo, & non propter ipsum verbum, a verbo apostatat. *tr. 4. c. 24.* quin potius sæpe cor tuum interroga, an quiddam tale in te sit. quod si est: ingemisce. - si *fidelis* es: quid quæris in concionibus, nisi verbum? & si ea fide ad conciones accedis: non respicies gestus, ornatum, venustatemque pronunciationis. - eo semper minus de spiritu sermonis habebis, quo plus *externa* respicies. a quibus, quo plus abstractus eris, eo facilius ad spiritum literæ vocis pertinges. *tr. 5. c. 12. 13.*

§. XXIX. *de pseudo-INTERIM in homileticis.*

Nonnulli ad ea, quæ diximus, respondent,



dent, fieri non posse, ut simul ingerantur seu doceantur *litera & spiritus*. asserunt, aliquid vanitatis in tempus permittendum quod hæc postmodum valeant a Dei spiritu repurgari. - quod, quid aliud est, quam dicere: licet in tempus vanum fieri, & occidi? - his dicimus: spiritum doceri posse cum litera qua ratione litera sit utendum. dicis: *venient dies, & auferetur litera vanitas ab eorum cordibus, & spiritus, quem litera requirit, infundetur*. jam quæro: quid si nunquam infuderit? Rom. IX, 15. 16. infusio Spiritus pendet a gratia Dei, non a nostra electione; ut dicere quisquam nequeat, nisi in suam perniciem, hoc verbum: *in tempus incumbam, sine freno Spiritus, humana eruditioni, & linguæ, & vanus tum ero: denique post annos aliquot spiritum quaram, & mea auferetur vanitas*. - volo annis aliquot occludi in muscipula; deniq; ab ea egrediar. venenum est litera sine spiritu: & tu dicis: *absorbebo venenum*. - adhibe perpetuo censorem Spiritum Dei, & non incidet in muscipulam. temperatur venenum, ut in theriaca, & non nocet. & tu tempera venenum literæ spiritu literæ, quem (litera) requirit: & tum nihil nocebit *tr. 2. c. 8*. jam apud eos *ultimum* habet Spiritus locum. *ib. c. 6. tr. 4. c. 24.*



§. XXX. *de dono exegetico.*

Id ferme omnes literarii sentiunt, quod *habere sensus in verbo sancto exercitatos*, sit multam habere sapientiam *literæ* sive textuum scripturæ. sed longe aliter habet res. si enim ita esset, nemo plus Judæorum Rabinis id haberet. - necesse est, ut is, qui cum fructu ad scriptorum Dei meditationem vult accedere, spoliatus ab omni *fiducia* eruditionis, experientiæ, ingenii ac omnium humanorum, accedat. - nimirum *id habere* includit, ut quis Dei lumine sensus habeat maxime exercitos in *sensu DOMINI* agnoscendo, quem ubique Scripturæ *litera* exigat, ut non fiat in perniciem. *sensus* enim ac *voluntas* Domini, spiritus ejusdem literæ est. *Ec. tr. s. c. 14.*

§. XXXI. *de varia expositione.*

Quia fieri non potest, ut in omnium scripturæ textuum *expositione* sit *concordia*: permittendum est cuilibet pio, quod sentit; *modo non sit aperte diversum a textu Scripturæ, quæ exponitur, & a reliquis Dei sermonum textibus non dissentiat.* - porro ubi res Dei verbo apertissime adversatur, &, si malo non resistimus, gravius malum inde suboriri videmus: tum nullatenus est reticendum. - *proinde, inquit Antichristi,*  
con-



constituimus decreta multa, ut omnia secundum ordinem fierent, & non esset *confusio* in ecclesia Dei. sed non vident excœcatisimi homines, quod per aliud nihil magis *confusa* sunt universa in Ecclesia Dei, quam per eorum decreta. *tr. s. c. 23. Apol. A. C. p. 232. 826.*

§. XXXII. *de commentariis.*

Miror quorundam ingenia, qui contra iudicium Spiritus Dei fanos audent reprobare commentarios. nam, quid refert, *scripto* an voce prophetes? ajunt, satis abundeque fidelibus esse puros bibliorum textus. jam si satis est, cesset omnis prophetia *tam vocis*, quam *scripti*. - nemo per epistolam fratres doceat, aut consoletur. - si prophetia *vocis* est bona: quare non itidem prophetia *scripti*? - si nec Martinus\* ne quispiam nostrum aliquid scripsisset: quomodo, obsecro, tam multis innotuisset veritas Dei? *tr. s. c. 31.* opponunt quidam, - commentarios, maxime si *multiplicentur*, a scripturæ *textibus* avertere. (1.) *fani & pii ac clari* in Dei scripta commentarii, *numquam* ecclesiæ nocent (2.) quo *plures* sunt, eo major accedit ecclesiæ utilitas. (3) per eos nemo a *Scriptura* præpeditur aut retrahitur, sed *magis* ad eam invitatur. (4) oves Christi



si agnoscunt vocem. - quo fit, ut interpretationum varietas eis nocere non possit. c. 32. 33. cum in eorum lectionem incideris, adhibe perpetuum *censorem*, Spiritum Dei, ut sc. exrest monio ejus, quod est verbum Dei, de universis *judices*. c. 34. *versio* (Scripturæ) non est ab uno solo tentanda, sed a compluribus; & id quidem cum perpetuis comitibus, oratione atque meditatione c. 35. 36. 37. 38. 39. tr. 3. c. 3. tr. 4. c. 24.

\* per *Martinum Lambertus* intelligit *Lutherum*, ut & c. 27. 35.

§. XXXIII. *contra eos, qui dicunt: Spiritum cessasse.*

Pectoris incredulissimi, & a vero *scriptura* sensu alienissimi est, putare, quod cessarit Spiritus. ad quid enim *Scriptura* sine Spiritu? - væ vobis, si cessasset Spiritus ipse! - quod si cessavit Spiritus ipse - unde nobis dabitur ipse *sensus*? 1. Cor. II, II. 16. - cesset potius, Domine, Spiritus noster! tr. 4. c. 23. prophetat ergo, quisquis docet verbum Dei, *etiam in scholis*, hoc est, qui fideliter enarrat scripturas. enarrat autem eas fideliter, qui omni diligentia curat, ut *spiritum* earum aperiat. tr. 5. c. 1.

§. XXXIV. *de materia concionum.*

Quid primum *vult* (Deus), nisi quod  
CHRIST



CHRISTUS ait Joh. 6. hæc \* est voluntas Patris mei, &c. hanc voluntatem vult Deus summam esse, ut eam, a qua perficitur omnis literæ spiritus. nimirum absque spiritu veræ fidei in Christum, ad ullius literæ spiritum nemo perveniet &c. tr. 4. c. 12.

\* A. C. p. 16. 29. l. 2. 27. sq. p. 58. 212. sq. 230. 261. l. pen. p. 262. sq. p. 45. 309. mens Apostolorum fuit, non de diebus festis sancire, sed prædicare bonam conversationem & pietatem. A. C. p. 32. conf. U. Regius de (ipsis) formulis caute loquendi.

§. XXXV. post concionem.

Cum implevisti concionem aliquam, expende, an aliquid in te fuerit studii ad satiandos oculos atque aures. quod si fuit, age pœnitentiam, qui prædicationem spiritus ad carnem retulisti. tr. 5. c. 12.

& tu, auditor, si in sermone flevisisti, aut gavisus es: expende, an ad hæc te moverint gestus & eloquentia? quod si ita est, ingemisce, quod hypocrisis sis, & non a spiritu, sed a carne sint hæc profecta. *ibid.*

peto, o minister verbi, nonne vis, ut sciant voluntatem Dei, & de ea post. tua concionem populos, quos docens, loqui posse? tr. 5. c. 24. profecto id laudabilius esset, quam, ut sit toties, ad ludos, choreas, commessati-



ones, ebrietatesque, etiam multis horis  
in propria salutis dispendium congregari.  
c. 22. (artic. Smalcald. p. 329. n. 4. 402. lin. 21.)

Nemo tamen per hæc arbitretur, me  
velle ansam præbere superbis quibusdam  
plebejis - propter quos male audit verbum  
Domini. - sed *facile*prehenduntur hi su-  
perbi. ego pro universis plebejis, *Deum*  
*sincere querentibus*, adversus superciliosos  
literarios causam ago: verum nolim juva-  
re impietatem, & ansam tribuere superbis  
& temerariis. Amanda eruditio, si cum pi-  
etate & diffidentia. & non est spernenda  
sancta rusticitas. quæ *veritatis* notitia felix  
est. veritas enim in omnibus *aqualiter* est  
veneranda. *tr. 5. c. 15.*

Aufer, DOMINE JESU, omnem hypo-  
crysiam ab universis, qui in tuo nomine glo-  
riantur: & fac tuo Spiritu & veritate, ut  
prophetando, orando, & in aliis cunctis, in  
sinceritate & veritate ambulemus. *ib. fin.*

AMEN.





COROLLARIORUM loco, quæ tribus abhinc annis *monitis homileticis* subjuncta fuerant, in disputantium gratiam: sint nunc sequentia.

## I.

B. CARPZOV L. 1. Jurisprud. eccl. & Consist. Tit. 5. Defin. 62: Digni sint necesse est, qui ad functionem ecclesiasticam aspirare cupiunt, vel ad verbi S. ministerium jam sunt vocati, certo credentes, indignos si sese reddiderint, à Deo nequaquam se esse vocatos. Quare non NB. spernant *monitum* FR. LAMBERTI, Theologi & Monachi Galli; qui in tr. *de fidelium vocatione in regnum Christi* c. 8. & 9. inter alia sic scripsit: *quisquis ad S. regni Christi ministeria, maxime ad summum illud, quod est ministrare verbum Dei, externe vocatur; antequam suscipiat vocationem, expendat, an Spiritum ad id acceperit, quod est interne mitti seu vocari. Quem si non accepit, postulet à Deo, qui dat omnibus adfluenter dona sua, sicut & quantum opus est, qui & dabit postulanti, si ipsa externa vocatio ab eo est profecta. Quod si ipsam vocationem interna minime confirmarit: nullatenus est admittenda, ne, si alioqui fecerimus, falsi Apostoli ac Pseudopropheta simus &c. Et postea: hoc autem erit cuique signum certissi-*



*tisimum, quod à Deo sit ipsa vocatio, si adest, qui interne mittit. Quod tum est, dum cupit non lasivire, videri inter alios doctior: sed opus & laborem vere bonum magna sollicitudine & charitate operari nitatur, ita ut velie potius mori & quidvis perferre, quam aliud docere populum, quam ignita, & purissima eloquia Dei. Hactenus LAMBERTUS: scribit Carpzovius, hisque ex verbis commendatis format conclusiones gravissimas (§ 76.) æque non spernendas.*

## II.

Alia plura Lamberti scripta copiose recensita vide in *Præfatione*, monitis homileticis Anno 1697. d. 13. Aprilis præmissa. Qui catalogus, & librorum & encomiorum ipsius, auctior fisti posset, si hujus esset loci. Fuerit vero per opportunum, imo etiam iis excitandis, qui nunc studiis apud nos incumbunt, non inutile, si in memoriam his revocerimus, quæ in *Præfatione* ista, de monitis, studio nostro excerptis dispositisque, non nisi ob perceptam vim veritatis, atque aliis in exemplum, confessus est, sub ipsum finem vitæ academicæ, M. Otto Wilh. Schüslerus, tum Respond. & designat. ecclesiæ Hamersleb.



leb. & Gunsleb. Pastor. non erubescō, inquit, hunc Praeceptorem (Lambertum) audire, qui, licet simplex, licet verborum colore non adeo splendescat, veritatem tamen dicit apertissime. Non quidem omnes ejus apices in his commentariis meos duco (respicitur ad hypothefin, quæ huc non pertinet) sed ea tantummodo ex flosculis tanquam apis quaedam, colligere animus est, quæ ad homiletica & ad docendi munus spectare maxime possunt. Mibi ergo hæc propono, mibi eadem inculcare in posterum studebo, si quidem multa ex iis jam tum hausi. Quod si vero & aliis placuerit obsequi monitis ejusmodi salutaribus, ipsimet mecum ferent fructus obsequii amplissimos. Nullum enim post Lutherum ego quidem hæcenus legi, qui internam animi conditionem, quæ solet ante vel in concionibus habendis sese prodere, simplicius veriusque exposuerit, quique consilia in praxi apprime usurpanda, mibi commodius dederit. Hic adeo delectavit mentem meam, (quærentem,) meaque conscientie ita satisfecit, ut & pro his gravissimis utilissimisque monitis gratias Deo agere ex officio teneam. Spiritui enim sancto omnem studiorum vim unice tribuit. Hunc docet, & in legendo, meditando, studendo, concionando, aliisque actionibus omnibus, unice & præcipue nobis



*bis assistere debere. Quod licet nemo Christianorum hodiernum negaverit (verbis expressis:) exploret tamen NB. quisque cor suum, an in veritate NB. dicere possit, se huic fundamento omnia sua studia superstruxisse? ego, quanti hac sit res momenti: Et quam facile, quamque multis modis hic, præter spem atque opinionem aberrare quis possit, meo exemplo magno cum dolore sæpius persensit. Quam nostri olim Auditoris confessionem, repetitam hic videre, nemo fastidiet, qui, cur eam repetierimus, cordi haberi voluerit.*

III. E Lamberto supra p. 42. adduximus qua ratione in concionibus ad Proceres non sit respiciendum. Huc ob ἀναλογία pertinent collecta e Lutheri colloquiis mensalibus c. 22: Umb D. Joanas oder Philippus, oder umb der gangen Universitat willen / wolt ich nicht einmal aufftreten. Denn sie können es sonst in der Schrift wol lesen. Wenn man aber den hochverständigen predigen wil / und eitel Rabbinos und Meisterstück herauswerffen / so stehet das arme Volk / gleich wie eine Kuh. O L. Herrn / es ist nicht Kinder spiel. im Virgilio und Cicerone stehet Gloria, aber die Heil. Schrift



Schrift wil Demuth und einen zerknirschten Geist haben/ da wohnet der H. Geist innen. D. W. Linc und M. Zeit Dieterich / die predigen doch/ daß der gemeine Mann etwas draus lernet. sie fassen es dennoch kaum. und wenn sie schon sagen; ey/ Er hat köstlich Ding gesagt / und eine gute Predigt gethan: da man sie aber fraget/ was war es dann? so sagen sie / ich weiß es nicht. es ist ein schwerer Handel / Gottes Wort predigen. und da gleich etliche fleißig drinnen studiren/und eine zeitlang Christum auch reine lehren und predigen; doch so bald sie hoffärtig werden/ schleust sie Gott aus der Kirchen. Darumb läßt Gott die/ so grosse gabe haben/ bisweilen in schwere Anfechtunge fallen/ auf daß sie lernen/ sie seyen nichts / wenn Gott die Hand abzucht. Den kleinen Kinderlein sol man predigen/ denen ist das Predigambt zu gut eingesetzt. Denen predige ich/ nach denselbigen richte ich mich/ die dürffens. Wollens die andern nicht hören/ so stehet die Thür offen. Du solt aber unsern Herrn Gott predigen/ und nicht ansehen / was die Leute davon halten und urtheilen. Richtet euch nicht allerding  
nach



noch andern / ihnen nach zu ohmen und  
 zu folgen. ihr könnet meine noch eines an-  
 dern Predigt / von Wort zu Worten  
 nicht erlangen / sondern fassets auß ein-  
 fältigste und kürzeste zuvor / worauff die  
 ganze Sache und Predigt stehet / und  
 befeylets darnach unserm Herrn Gott.  
 Denn das wollet mit glauben / daß pre-  
 digen nicht Menschenwerck ist / denn ich /  
 wiewol ich ein alter und geübter Predi-  
 ger bin / doch fürcht ich mich / wenn ich  
 predigen sol. Aber ich weiß nicht / wie es  
 kömmet / daß wir nicht ehe predigen noch  
 schreiben wollen / es gefalle uns dann zu-  
 vor selbst. und da man uns nicht mit den  
 vernahmen zwünge / so thäten wirs nicht.  
 L. Fürsten / in dem solt ihr von euch selber  
 nicht judiciren noch urtheilen / wie ihr  
 auch nicht könt / sondern andere sollen  
 urtheilen. ich pflege nicht alle stück inson-  
 derheit zufassen / sondern allein den haupt  
 Punct / darauff die Summa der gan-  
 zen Predigt stehet / daß sie können sagen :  
 das ist die Predigt gewest. Also stehet /  
 das Evangelium am Palmen-Sontage  
 fürnehmlich auf dem / daß man rede vom  
 Reich Christi ; da ein Ungelehrter würde  
 viel plaudern vom Gesange / Procession,  
 und



und lobte des Volcks / und stehen lassen / die fürnehmste Sache des Propheten-  
Spruchs. So aber einer ein Wort Got-  
tes hat / und kan nicht eine Predigt da-  
raus machen / der sol nimmermehr ein  
Prediger seyn. Wer eine Sache wol  
verstehet / und recht inne hat / der kan  
leichtlich davon reden. Denn nach dem  
Erkenntnis der Dinge folget das Kunst-  
stück erst / daß einer davon recht schrei-  
ben und reden kan. Darumb werden die  
betrogen / die sich fleißigen aufs artifici-  
um, zuvor / ehe sie eine Sache recht verste-  
hen. Ich bin denen sehr feind / die sich in  
ihren Predigten richten nach den hohen  
gelehrten Zuhörern / nicht nach dem ge-  
meinen Volk / des achten sie nicht. Wir  
sollen Säug-Ammen seyn / gleichwie eine  
Mutter ihr Kindlein seuet. 2c. V. Franckii  
Pr. T. 2. p. 230. 296.

IV. Quæ vero in *pramonitione* nostra  
diximus de *defectu* spirituali, & resul-  
tante inde abusu studii homiletici: in  
Lutheri L. de formula Missæ P. 3. illu-  
strata invenias: ubi non est, ait, *intellectus*  
*spiritualis*, nec Spiritus ipse loquitur per con-  
cionatores (illis n. hil. prescribo, quos Spiritus  
absque Postillis & homiliis loqui docet) eo  
tan-



*tandem res deveniet, ut quilibet loco Evangelii & interpretationis ad fabulas & nugas relabatur.* Cujus loci occasione, simili-  
umque vide, quæ notata sint in B. Secken-  
dorffii historia Luth. L. 2. §. 20. 21. f. 54. sqq.  
186. (14) 40. 106. (26) L. 1. f. 164. (f) 298. (4)  
Maxime vero concionaturis meretur,  
commendari *Unterricht der Visitatorn /  
an die Pfarrer im Churfürstenthum zu  
Sachsen A. 1528. & A. 1538. ad exercen-  
dum absque periculo monitum §. 34. e  
Lamberto nostro. item Ph.M. Examen der  
Ordinanden / cum nova præfatione edi-  
tum.*

DEO igitur, ejusque paternæ bene-  
dictioni commendamus qualemcunque  
hunc fasciculum, cui etiam gratias agi-  
mus, qui permisit nobis aliqua ex parte  
implere B. Viri spem conceptam, sæpi-  
usque ore & eloquio candidissimo ex-  
pressam: *fore, ut futuris sæculis, adeoque po-  
steritati, labor hic sit maxime  
proficiuus.*





Je 153


ß

[JZEAN]


m.c.











# ELEMENTA HOMILETICA,

in materiam ac usum cum præ-  
lectionum, tum exercitiorum &  
cenfurarum etiam, quæ in hoc ge-  
nere fieri solent,

consignata

à

**PAULO ANTONIO**

S. Th. D. & in Fridericana P. P. Consist.  
Ducatus Magdeb. Consil.

---

Accedunt, ad verum finem eo certius as-  
sequendum, **MONITA HOMILETI-**  
**CA**, e Fr. Lamberti de Prophetia Com-  
mentariis fideliter collecta.

---

*HALÆ MAGDEBURGICÆ,*  
typis & sumtibus **CHRIST. ANDR. ZEITLII,**  
Acad. Typogr. recusa Anno 1707.